



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Liber Secvndvs. Qui est Rebus, De Rervm Divisione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

SUMMÆ IVRIS CANONICI  
LIBER SECVNDVS.

*Qui est de Rebus.*

DE RERVM DIVISIONE.  
TITVLVS I.

**S**uperiore libro exposuimus de jure personarum: modò de altera tripartitæ divisionis juris parte, quæ est de Rebus, pertractemus. Summa verò Ecclesiasticarum rerum divisio hæc est, quòd aut sunt corporales, aut incorporales. Corporales sunt, quæ tangi aut alio corporis sensu percipi possunt, veluti sunt Sacramenta, Ecclesiæ, templa, monaste-

ria, calices, prædia, sylvæ, fructus & similia. Iæ corporales sunt, quæ nullo sensu corporis percipiuntur, utpote quæ in jure consistunt; ut sunt, electio, collatio, institutio, jus patronatus, jus decimandi, succedendi, sepeliendi, & obligationes quoquo modo contractæ. *Similis divisio extat apud Iustinianum tit. Instit. De reb. corporalib. & incorp.*

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TITVLVS II.

§. 1. De notione Sacramenti & ejus definitione.

**S**acramenti varia acceptio est. Quandoque idem significat, quod iuramentum, ut in *Authent. Sacramenta puberum. C. Si adversus vendit. in l. Miles §. ignominiosa D. De re milit. hinc Sacramentalis, in Vrbibus feud. c. 2. circa fin. 1. Si de investitura inter quandoque rem abditam sive occultam, ut apud *D. Paulum ad Ephes. 1. cap. & apud Thobiam c. 2.* In proposito autem argumento denotat signum rei sacræ, qua significatione ita vulgò definiti solet: Sacramentum est invisibilis forma, *can. Sacrificium 32. de consec. dist. 2.* Vel ut explicatiùs in eadem sententiam, Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum, *Catechis Roman. de Sacram. in genere cap. 1. n. 3. in fine, adde can. Multa 83. circa mod. l. q. 1. & Bellarm. de Sacram. lib. 1. cap. 11.**

§. 2. Septem novæ legis Sacramenta.

Sunt autem novæ legis Sacramenta septem; videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. *Conc. Floy in instruct. Armen. sub Eugenio IV & Trid. sess. 7. can. 1. de Sacram.*

§. 3. Sacramentorum quædam necessaria, quædam arbitraria.

Horum quædam ad salutem necessaria sunt,

quædam non sunt, sed voluntaria, id est, pro cuius jusque arbitrio & voluntate suscipiuntur, *cap. Vniens 8. Ext. De transact. Conc. Trid. d. sess. 7. can. 4.* Necessaria sunt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, & extrema Unctio; hæc enim sine periculo salutis prætermitti, aut certè temerè negligi non possunt, *text. in can. Nulla præter eam c. seq. de consec. dist. 4. can. 1. cum can. seq. de consec. dist. 5. cap. Omnes utriusq. 12. Ext. De pœnit. & remiss. & can. 1. xxvi. q. 7.* Voluntaria sunt, Ordo & Matrimonium, *cap. 2. c. 14. Ext. De sponsal. 1. ad Corinth. 1. & latius docent tituli seqq.*

§. 4. Quædam characterem imprimunt, quædam non imprimunt.

Rursus ex Sacramentis quædam characterem imprimunt, id est, signum quoddam spirituale & indelebile; unde nec iterari possunt absque sacrilegio, veluti Baptismus, Confirmatio, & Ordo, *Conc. Trid. d. sess. 7. can. 9.* cætera reperi non prohibentur *De extrema Unctione probat Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. in doctrina de Sacram. extrema Unctionis. De Eucharistia, Pœnitentia & Matrimonio probat. præter alia, quotidianus usus.*

§. 5. An quid ordinata sunt novæ legis Sacramenta?

Et quidem per Baptismum spiritualiter renascimur;



emur; per Confirmationem augetur in gratia, & roboratur in fide: renati autem & roborati nutrimur diuina Eucharistia & alimonia. Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animæ, per penitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per extremam Unctionem: per Ordinem verò Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur, *Conc. Florent. in instr. Armen. de Sacr. sub Eugenio IV.*

§. 6. De essentiis libus Sacramentorum.

Omnia autem Sacramenta tribus perficiuntur; videlicet, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri, conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum, *Conc. Florent. d. loco, De intentione ministri est & Conc. Trid. d. sess. 7. can. 11. In Sacramento*

tamen Matrimonii loco verborum sunt quandoque littere vel nutus, vel aliud signum, ut infra tu. 9. in notat.

§. 7. De Ministro Sacramentorum.

Et quia Ministri in Sacramentorum functione non suam, sed Christi personam gerunt, ea re fit, ut siue boni, siue mali sint, (modò ea forma & materia utantur, quam ex Christi instituto semper Catholica Ecclesia seruauit, idque facere proponant, quod Ecclesia in ea administratione facit) verè Sacramentum conficiant & conferant; ita ut gratia fructum nulla res impedire possit, nisi qui ea suscipiunt, seipso tanto bono fraudare, & Spiritui Sancto velint obistere, *Catech. Rom. in 2. parte de Sacram. num. 16. can. Sic autem, can. Sacramenta, cum aliquot seqq. l. 9. 1. can. Secundum dist. 19. Conc. Trid. sess. 7. can. 12. de Sacram. in genere.*

DE BAPTISMO.  
TITULUS III.

Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est. Per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficiuntur Ecclesiae, *Conc. Flor. in instruct. Armen. §. primum. can. Cum itaque in fine 112. can. Ad hoc 143. de consecrat. dist. 4.*

§. 1. Baptismus quid, & qua eius Materia.

Est autem Baptismus Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ, *Catech. Rom. de Baptismi Sacram. num. 4. ex duobus locis sacra Scriptura, Ioan. 3. & ad Ephes. 5. Nec enim hoc Sacramentum confertur, nisi per aquam (vel ipso Christo teste apud Joannem: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c. Ioan. cap. 3.) eamque veram & naturalem, siue ea frigida sit, siue calida, Conc. Flor. d. loco, Conc. Trid. d. sess. 7. can. 2. de Baptismo, adde can. 22. de consec. dist. 33. Unde per aquam rosaceam, aut per saluam, aut per alium liquorem Baptismus perperam confertur, cap. per Ext. De baptismo, adde D. Thomam in 3. p. q. 66. art. 4. & Syl. est in V. Baptismus 2.*

§. 2. De forma Baptismi, & quòd nemo seipsum baptizat.

Baptismi forma hæc est; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Conc. Flor. d. loco,*

*cap. 1. 2. & cap. 4. Ext. De bapt. Ubi per pronomen Te, diuersitas personarum ostenditur inter baptizantem & baptizatum; cum nemo seipsum baptizare possit, cap. Debitum 4. Ext. eod. Non tamen negandum est, quin & per illa verba: Baptizetur talis seruus Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel Baptizetur manibus meis talis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, verum perficiatur Baptisma: ex declaratione Concilii Florentini, sup. alleg. loco in instr. Armen. de hoc Sacramento.*

§. 3. Errorum syllabarum non officere Baptismo.

Planè error in pronuntiatione syllabarum admissus nihil officit Baptismo; uti à Zacharia Papa rescriptum est de Sacerdote, qui ob imperitiam linguæ Latinæ baptizandi formula usus erat: *Baptizote in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta, can. Retulerunt 86. de consec. dist. 4. facit h. Qui habebat 54. D. De manuum inf. testam.*

§. 4. An sufficiat unica ablutio.

Planè error in pronuntiatione syllabarum admissus nihil officit Baptismo; uti à Zacharia Papa rescriptum est de Sacerdote, qui ob imperitiam linguæ Latinæ baptizandi formula usus erat: *Baptizote in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta, can. Retulerunt 86. de consec. dist. 4. facit h. Qui habebat 54. D. De manuum inf. testam.*

§. 4. An



## §. 4. An sufficiat unica ablutio.

Neque interest unica ablutio, an trina adhibeatur; quam vis uniuscujusque Ecclesie consuetudinem hac in re servari, & retineri magis conveniat, *can. De trina 80, de consec. dist. 4, Catech. Rom. de hoc Sacram. num. 14, D. Thom. in 3. p. q. 66, art. 8, in respons.*

## §. 5. De necessitate Baptismi.

Est autem hoc Sacramentum omnibus hominibus plane necessarium, non tantum adultis, sed & parvulis, propter originale peccatum, quod ex primo parente contraxerunt, eluendum, *can. 3, de consec. dist. 4, can. Firmissime xv, q. 1, Est enim certa Christi sententia: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, Ioan. 3.*

## §. 6. Martyrium &amp; votum Baptismi vicem supplent.

Creditum tamen ab Ecclesia est, ut ii, qui pro Christi nomine martyrium subierunt, pro baptizati habeantur, *can. Catechumenum 37, de consec. dist. 4, quemadmodum & hi, quos Baptismus desiderantes necessitas exclusit, cap. Debitum 4, Ext. De baptiz. cap. 2, Ext. De presb. non baptiz.*

## §. 7. Presbyterum salvatum sine Baptismo.

Ut hinc rescriptum sit ab Innocentio III. de Presbytero, qui credens se baptizatum, cum non esset, ab hac luce descesserat: Quia, inquit innocens, in sanctæ matris Ecclesie fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cœlestis Patriæ gaudium esse adeptum asserimus inconstanter. Illud ex D. Augustino addens: Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit, *text. est in d. cap. 2.*

## §. 8. De triplici Baptismo.

Unde vulgaris hæc distinctio nata est, quod Baptismus alius fluminis sit, alius flaminis, alius sanguinis, *can. Baptismi vicem de consec. dist. 4, & d. cap. Debitum.* Sed primus veram naturam Sacramenti; reliqui duo effectum dumtaxat Sacramenti habent, *D. Thom. 3. p. q. 66, art. 11.*

## §. 9. Si incertum sit, aliquem esse baptizatum.

De quo incertum est, utrum baptizatus sit, his verbis abluendus est: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine, *Chr. cap. 2, Ext. de Baptiz. adde can. Parvulos 110,*

*cum seqq. de consec. dist. 4, Certe de illo, inquit Innoc. III. qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violententer præsumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda; donec evidentissimis forsitán argumentis contrarium probaretur, text. est in cap. ult. §. fin. Ext. De presb. non baptiz.*

## §. 10. De Ministro Baptismi.

Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus, & mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptizare potest; dummodò formam servet Ecclesie, & facere intendat, quod facit Ecclesia, *Conc. Flor. in instr. Arm. sub Eugenio IV. can. Constat, can. In necessitate cum multis seqq. de consec. dist. 4, can. Si quem xxiv, q. 1, can. Super xxx q. 3, D. Th. p. 3, q. 67, per tot. Navarr. in Manuali cap. 22, nu. 7.* Idque receptum est, ne quis sine lavacro regenerationis ex hoc seculo decedat, *d. can. Constat. in fine.*

## §. 11. De patre filium proprium baptizante.

Hinc Joannes VIII. probat factum pii cuiusdam patris, qui filium suum corpore morientem aspiciens; ne animam perpetuâ morte perentem dimitteret, undâ Baptismatis lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi jam regnaturum sine dubitatione transmitteret, *text. est in can. Ad limina xxx. q. 1.*

## §. 12. De loco Baptismatis.

Potè de loco Baptismi conferendi ita statuit Clemens V. in Concilio Viennensi: Præsentem, inquit, prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Qui autem secus præsumperit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non præsumant, *text. est in cap. unico De Baptiz. in Clem.*



## DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

## TITULUS IV.

## §. 1. Materia &amp; forma hujus Sacramenti.

Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo quod nitorem significat conscientie & balsamo (quod odorem significat bonae famae) per Episcopum benedicto. Forma autem est: *Signo te signo Crucis. confirmo te Christiano salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Concil. Florent. in instruct. Arm. de hoc Sacram.*

## §. 2. Effectus.

Effectus autem hujus Sacramenti est; quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen, *idem Conc. Florent. d. loco, can. 1. & 5, de consec. dist. 5, can. 2, d. dist. 5, Quamvis inquit Melchisedes Papa, continuo d. transcuris sufficiant regenerationis beneficia, vi-*

auris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati seculi recipiendos: Confirmatio autem armat & instruit ad agones mundi hujus & praelia reservandos, *can. 2, d. dist. 5.*

## §. 3. Minister.

Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus, *Concil. Flor. d. loco, Trid. sess. 7, can. 3, de Confirm. can. 3, cum 2, seqq. de consec. dist. 5, cap. Quanto 4, Ext. De consuet. Nam quod simplicem sacerdotem aliquando Confirmationem contulisse accepimus, id plane extraordinarium fuit, ex dispensatione Pontificis, Concil. Flor. d. loco, adde text. in can. 1, dist. 95, & D. Thom. in 3, parte quest. 72, art. 11, ad 1, argum.*

## DE EUCHARISTIA.

## TITULUS V.

## §. 1. Eucharistia quid? Christum ipsum continet.

Tertium Sacramentum est Eucharistia, Latine bona gratia dicta; quod re ipsa Christum contineat, qui est plenus gratia, *can. Multi 84, circa med. I. qu. 1, D. Thom. in 3, parte qu. 73, art. 4, in respons.* Et his verbis recte describitur: Eucharistia est Sacramentum continens sub specie panis & vini, vel alterius eorum, verum corpus & sanguinem Christi, *can. Nos autem 41, cum can. seq. de consec. dist. 2. & Concil. Flor. in instruct. Armen. de hoc Sacram. Concil. Trid. sess. 1, cap. 1, & cap. 3, can. 1. & 3.* Corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; Divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypostaticam unionem, *ex Conc. Trid. sess. 13, cap. 3, in decreto de hoc*

*Sacram. can. Species, can. Cum frangitur, can. Ante benedictionem cum 3, seqq. de consec. dist. 2, a*

## §. 2. De materia &amp; forma Eucharistia.

Quare materia Eucharistiae est panis triticeus, & vinum de vite (ut loquitur Concilium Florent. alleg. loco) cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet, *idem Conc. Flor. d. loco, & can. 1, de consec. dist. 2.* Et haec forma verborum accedente, in corpus & sanguinem Christi transubstantiantur sive convertuntur, *can. Nos autem 41, can. Panis 55, can. Corpus 60, de consec. dist. 2, cap. 1, §. vera Extrav. De summa Trinit. Concil. Flor. d. loco & Trid. c. 4, adde cap. Cum Marcha 7, §. quaevis Extrav. De celeb. Missar. & D. Thom. p. 3, quest. 74, art. 8, in respons. ubi agitur & de conversione aqua.*

## §. 3. De ministro hujus Sacramenti.

Et sicut hoc Sacramentum nemo alius conficit quam Sacerdos, *d. §. vera: ita nemo alius pra-*

M m m m

t e r



ter Sacerdotem erogat, *can. Peruenit d. distinct. 2.* Ubi tamen Episcopus & Presbyter abluunt, poterit & Diaconus illud conferre, *can. Diaconos 13, dist. 93*, imò & præseate Presbytero si necessitas cogat, & jubeatur Diaconus, *can. Presento 18, dist. 93*, Religiosus verd absque speciali licentia Presbyteri parochialis vel concessionem Summi Pontificis, Clericis aut Laicis hoc Sacramentum administrare non possunt, sub excommunicatione, ipso facto incurrenda, cujus absolutio S. Pontifici reservata est, *cap. 1, De privil. in Clem. b*

§. 4. De usu Sacramenti.

Et licet olim constitutum esset, ut quilibet (nisi gravioribus criminibus præpeditus) ter saltem in anno, videlicet in festo Paschatis, Pentecostes & Natalis Domini, Eucharistiam sumeret, *can. Etsi 10, de consecr. dist. 2*, hodie tamen eò decursum est per Concilium generale Lateranense, ut sufficiat semel tantum singulis annis in Paschate communicasse: hac tamen comminatione additâ, ut si quis huic communioni se subtraxerit, vivens ab ingressu Ecclesiæ arceri, & mortuus Christianâ sepulturâ carere debeat: nisi forte ex consilio proprii Sacerdotis, rationabili causa suadente, communionem in aliud tempus differendam duxerit, *text. est in c. Omnis utriusque 12, Ext. De poenit. & remiss. Concil. Trid. sess. 13, can. 3, de Sacram. Euchar.*

§. 5. An quis à perceptione Eucharistia rejeiti possit?

Ceterum hic dubitationis est, An Sacerdos accedentem ad perceptionem hujus Sacramenti rejicere possit? Et magis est, non posse; etiamsi sciat Sacerdos eum indignè accedere, *c. 2, Ext. De eff. quod. ord. can. Non prohibeat de consecr. dist. 2*, nisi crimen ejus notorium sit, *can. Pro dilectione 95, d. dist. 2, D. Thom. in 3. part. q. 80, art. 6*, Quamquam ex sententia D. Pauli is, qui manducat indignè, judicium sibi manducet, quod non dijudicet corpus Domini, *1, ad Corinth. 11.*

§. 6. De Eucharistia asservanda pro infirmis.

Ne autem & infirmis hoc Sacramentum desit, Parocho incumbit, ut Eucharistiam semper paratam habeat pro infirmis, eamque fidei custodia & clavibus asservatam; ne sacrilegorum manus eò possint pertingere, *can. Presbyter 93, de consecr. dist.*

2, *Conc. Trid. d. sess. 13, cap. 6, in decreto de hoc Sacram. juncto c. 1, Ext. De custod. Euchar.*

§. 7. De sumptione unius speciei & de oblatione in sacrificio Missæ.

Et quamvis in Ecclesia Dei hætenus receptum & usurpatum sit, ut Sacramentum hoc sub una tantum panis specie Laicis & Clericis non conficientibus, distribuatur, *Conc. Trid. sess. 21, cap. 1, in doctr. de com. & can. 1*, ubi tamen in Sacrificium Deo offerendum est à Sacerdotibus, necesse est utramque speciem simul conjugari & offerri, *can. Relatum cum can. seq. de consecr. dist. 2*, adeò ut si, inchoato Sacrificio, morbo præpeditur Sacerdos, alius ipsi Sacerdos succedere possit, qui eorum sacrificium peragat, *can. Nihil contra 111, qu. 1.*

§. 8. De sanguine Christi è calice effuso.

De sanguine Christi è calice per negligentiam effuso hoc decretum extat Pii Papæ: Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stilla, verit in terram, lingua lambetur, & tabulata, detur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corraderetur, & igne consumetur, & cinis intra Altare reconderetur: & Sacerdos quatuordecim diebus pœniteat. Si super Altare stilla, laverit calix, sorbeat Minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteam Altaris, & ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si usque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina, quæ tetigerit stilla, & aqua ablutionis sumatur, & juxta Altare recondatur, *text. est in can. Per negligentiam de consecr. dist. 2.*

NOTATIO in Tit. 5.

a Imò & sub qualibet speciei parte, separatione factâ, continetur totus Christus uti declaravit Concil. Flor. d. loco, & Trid. d. sess. 13, can. 3, quo & sectus sententibus anathema dicitur.

b Exceptis Patribus Societatis, Minoribus & similibus, qui in hac re privilegio muniti sunt, præter festum Paschatis, de quo apud Navar. in Manualic. 21, nu. 25. c. Dicit tamen eum admonere secretò, ne se ingerat communioni, ut in citatis ad marginem locis.



DE POENITENTIA.  
TITULUS VI.

## §. 1. Poenitentia quid.

Quartum Sacramentum est Poenitentia, quoniam peccatum lapsi post Baptismum, Deo restituitur & reconciliatur, cap. 1, §. una in fine Ext. De summa Trinit. atque idcirco secunda post naufragium tabula appellatur, can. Secunda de poenit. dist. 1, Conc. Trid. sess. 14, can. 2, cap. de sanctiss. poenit. Sacram.

## §. 2. De Materia, Forma, Ministro huius Sacramenti.

Cujus quasi Materia sunt actus poenitentis; qui in tres distinguuntur partes: quarum Prima est cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est, satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis, quae quidem praecipue fit per orationem, jejunium & elemosinam. Concil. Florent. d. loco & Conc. Trident. sess. 14, in doct. de sanctiss. poen. Sacram. cap. 3, §. 4, & can. 4.

Forma vero huius Sacramenti sunt verba absolutionis, quae Sacerdos profert & dicit: Ego te absolvo, &c. Concil. Flor. d. loco & Trid. eod.

Minister, Sacerdos est habens auctoritatem absolventi vel ordinariam, vel ex commissione Superioris; alioqui ab alio facta absolutio nullius momenti est, instar sententiae à non suo iudice latae. Concil. Flor. d. loco, & Trident. cap. 6, & can. 10 & sess. 13, cap. 15, de reform. cap. 2, De poenit. in 6.

## §. 3. De casuum reservatione.

Non dubium tamen est, quin Summi Pontifices alique Episcopi, pro data sibi in subditos potestate, nonnulla graviora crimina, praesertim quibus censura excommunicationis annexa est, suo iudicio reservare possint, à quibus inferiores Sacerdotes absolvere non possunt, Concil. Trid. sess. 14, c. 7, in doct. de poenit. De casib. reservatis vide Navar. in Manuali cap. 27, num. 49, cum seq. nisi in mortis articulo, quo permittum est omnibus Sacerdotibus quoslibet poenitentes à quibusvis

peccatis & censuris absolvere, Conc. Trid. d. c. 7, & can. 11.

## §. 4. De usu &amp; frequentatione huius Sacramenti.

Ne autem usus huius Sacramenti obsolescat, prudenter statutum est in Concil. Lateranensi, ut omnes fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, semel saltem in anno confiteantur, cap. Omnis utriusque 12, Ext. De poenit. & remiss. Quod & mos hodiernus tempore Quadragesimae consistendi in universa Ecclesia receptus, comprobatur, quem & sancta Tridentina Synodus amplectitur & retinendum censet, d. sess. 14 c. 5, circa fin.

## §. 5. Poena in Sacerdotem revelantem peccatum.

Cavere autem debet Sacerdos, qui confessionem excepit, ne verbo aut alio quovis modo, aliquatenus prodatur peccatorem; sed si prudentiori consilio indigerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat: Quoniam qui peccatum in poenitentiæ iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum à Sacerdotali officio deponi decernitur, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudi. Ex constitutione ejusdem Concilii Lateranensis, in d. cap. Omnis utriusque §. ult.

## §. 6. De publica poenitentia &amp; solemn.

Si quae autem peccata publicè admissa fuerint, ea rursus publicè poenitentia, id est, satisfactione expianda sunt, cap. 1, Ext. De poenit. can. Poenitentes 63, cum 6, seq. dist. 60, & Concil. Trid. sess. 14, cap. 8, de reform. nisi forè Episcopo videatur, ut haec publica in privatam poenitentiam convertatur. Conc. Trid. d. c. 8, Et hinc duplex genus poenitentiae, privatae & publicae. Quae posterior nonnumquam solemniter ritu peragitur, si ita dicitur delicti gravitas, de qua in can. In capite dist. 50, quo casu sollemnis poenitentia dicitur, can. Si quis post 6. potest d. dist. 50, latius Rob. Bellarm. tomo 2, Controvers. de poenit. lib. 1, c. 21.



## DE EXTREMA VNCTIONE.

## TITULUS VII.

**Q**uintum Sacramentum est Extrema Unctio, quod infirmo, de cuius morte timeatur, tantummodò exhibetur. Nam & hinc Sacramentum exuentium appellatur, *Conc. Flor. d. loco in § quintum, juncto Trid. sess. 14, cap. 3, in doctr. de Sacram. extr. Vnct.*

§. 1. De materia huius Sacramenti, Ministro, forma.

Materia huius Sacramenti est oleum olivæ per Episcopum benedictum, *Conc. Florent. & Trid. d. loco cap. 1*, Minister verò, Presbyter, siue is Episcopus sit, siue alius Sacerdos ab eo ritè ordinatus, *Concil. Trid. d. loco cap. 3, eam illud dist. 95*, qui infirmi oculos, aures, nares, os, manus, pedes & renes, hoc sacro oleo inungit, adhibitâ hac verborum formulâ: *Per istam sanctam unctionem & suam piis-*

*simam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, &c. & similiter in aliis membris, Conc. Flor. eod. §. quintum. a*

§. 2. Religiosus hoc Sacramentum conferant.

Interdictum verò Religiosus est, ne hoc Sacramentum Clericis aut laicis conferant, absque speciali licentia Presbyteri parochialis, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendæ, cuius & absolutio S. Pontifici reservata est, *cap. 1, in princ. juncto §. fin. De privil. in Clement.*

NOTATIO IN TIC. 7.

a Honestatis tamen ratio postulare videtur in femine, ut reses non ungantur. *Bellarmin. de extr. Vnct. cap. 10*

## DE ORDINIS SACRAMENTO.

## TITULUS VIII.

De Sacramenti Ordinis Materia, Forma, Ministro, Effectis.

**S**extum Sacramentum est Ordo; cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo; sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane, porrectionem: Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus per calicis vacuè cum patena vacua superposita traditionem. Et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano latius continetur, *Conc. Flor. in instruat. Arm. de hoc Sacram. in §. sextum, adde qua dicitur in de Ordinib. & gradib. §. 1.* Minister est Episcopus, & interdum Abbas quoad minores Ordines, *vide sup. tit. Qui Ordines Ecclesiast. §. fin.* Effectus est augmentum gratiæ, ut quis efficiatur idoneus ad obsequendum ministerium Ecclesiasticum, *Conc. Flor. d. loco, De numero Ordinum alibi retulimus, sup. tit. de Ordinib. & gradib. Clericor.*

## DE SPONSALIBVS ET MATRIMONIIS.

## TITULUS IX.

§. 1. Matrimonii materia & forma.

**S**eptimum & postremum Sacramentum est Matrimonium, quo vir & mulier individuæ vitæ consuetudine conjunguntur, *de quo latius inf. eod. §. Est autem matrimonium 20, cum seq.* Cuius materia est consensus contrahentium: *Forma*, ipsa verba vel alia signa consensuum exprimi-

mentia, *per text. in cap. Tuas 26, Ext. De sponsalib. ac notat ibid. Panorm. Navar. in Manuali c. 22, num. 20, a* Sed quia sponsalia ut plurimum præcedere solent matrimonium, idcirco prius de sponsalibus dispiciamus.

§. 2. Sponsa



## §. 2. Sponsalia qua &amp; undedicta.

Sunt autem Sponsalia futurarum nuptiarum promissio, *can. nostrates xxx quasi s. dicta à spondendo*, quod moris fuerit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras. Unde & sponsi & sponsæ appellatio nata est, *l. 1. §. 7. D. De sponsalib. b.*

## §. 3. Consensum nudum sufficere in sponsalibus contrahendis.

Receptum tamen est, ut & nudo consensu quoquo modo expresso, sive per se, sive per alium, sive per epistolam sponsalia rectè contrahantur, *l. Sufficit 4. cum l. seq. §. l. fin. D. d. p. e. unico s. fin. De desponsat. impub. in s.* Qui consensus & eo casu intercedere intelligitur, ubi parentes nomine filiorum, sive puberum sive imuberum, presentium & non contradicentium, sponsalia contrahunt, *d. §. fin. §. l. In sponsalibus 7. l. Sponsalia 11. cum l. seq. eod. tit.* Ita ut hoc casu Regula locus sit. Qui tacet, consentire videtur, *c. Qui tacet De reg. jur. lib. 6.*

## §. 4. Absentem absentis desponderi posse.

Cui etiam consequens est, absentem absentis desponderi posse, dummodò scientibus ipsis aut postea ratum habentibus, *d. l. Sufficit cum l. seq. §. d. cap. unico §. fin.* Rati habitio enim retrahitur, & mandato comparatur, *c. Rati habitio De R. I. in 6. §. l. fin. Cod. Ad SC. Maced.*

## §. 5. De sponsalibus puris &amp; conditionalibus, &amp; eorum modum effectus.

Sed & sponsalia purè, & sub conditione contrahi possunt, *cap. unico De sponsalib. in 6.* Purè his verbis vel similibus, *Ego te accipiam in uxorem; & Ego te in maritum, c. penult. Ext. De sponsalib.* Sub conditione, hac vel simili forma: *Ego te in uxorem accipiam, si tantum donaveris; vel si patri placuerit; & mulier utroque casu assentiatur, cap. 3. Ext. §. Ext. De cond. appos. §. d. c. unico De sponsalib. in 6.* Et prout quidem sponsalia perfecta sunt ab initio, & publicæ honestatis iustitiam inducunt, *d. cap. unio §. circa prim. De iustitia publica honestatis vide inf. de affinit. §. in affinitum, cum seqq. posteriora non item, nisi eveniente conditione, d. cap. unio §. fin. aut nisi postea consensus de presenti, aut copula carnalis inter sponsum & sponsam subsecuta fuerit. Nam his duobus casibus censentur ambo a conditione recessisse, & in matrimonium concessisse, *d. cap. 2. §. cap. 6. De condit. appos. cap. loqui 30. Ext. De sponsalib.**

Adhibitâ tamen moderatione Concilii Trident. de matrimonio clandestino, *de quo infra ut. De clam. contrah. matrim.*

## §. 6. De ætate contrahentium sponsalia.

Ætas verò contrahentium sponsalia ut minimum septennis esse debet, *cap. Lueras 4. cum cap. seq. cap. Ad dissolvendum 13. Ext. De despons. impub. §. l. In sponsalibus 14. in fine, D. De sponsalib. cum hac ætate, utpote superatâ infantia, iudicium aliquod animi prius in sit contrahentibus, l. Si infanti 18 in princ. junctâ l. 5. C. De iure delib. Antè contracta sponsalia nullius momenti sunt, *d. c. Lueras cum similib. antè alleg.**

## §. 7. De sponsalibus duorum infantium, vel alterutrius.

Quo spectat illud Bonifacii VIII. Si infantes, inquit, ad invicem, vel unus maior septennio, & alter minor, sponsalia contraxerint, ipsi, vel parentes pro iis, nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu alias verbo vel facto ipsorum liquidò appareat, eosdem in eadem voluntate factos majores septennio perdurare; sponsalia huiusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minimè coalescunt: & idèd, cum sint nulla ratione defectus consensus, publicæ honestatis iustitiam non inducunt, *text. est in cap. unico in princ. De despons. impub. lib. 6.*

## §. 8. Effectus sponsalium.

Ubi autem sponsalia legitimè contracta sunt, ea statim obligatio nascitur inter sponsum & sponsam contrahendi matrimonii, ut ad contrahendum iudicis auctoritate alter ad altero constringi possit, *c. De illis 7. Ext. De despons. impub. c. Ex literis 10. De spons. quia grave est fidem fallere, l. 1. D. De const. pecun. Intellige autem de puris sponsalibus, aliud in conditionalibus, ut infra eod. in §. quartus 3. non tamen plane cogi; cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. Ex rescripto Lucii III. in c. Requisivit 17. Ext. De sponsalib. d.*

## §. 9. Casus, quibus sponsalia impunè dissolvuntur, &amp; primum per mutuum dissentium.

Sunt tamen casus, quibus impunè à sponsalibus dissolvuntur, quorum primus est, si id mutuo consentu fiat sponsi & sponsæ, ut Innocentius



III. rescripsit Episcopo Exonenſi, cujus hæc verba sunt: præterea hi, qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem dederunt, commoneandi sunt & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. Si autem se ad invicem admittere voluerint, ne fortè decrius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet, videatur, quòd ad iustitiam eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eisdem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari, *text. est in c. 2. De sponsalib.*

§. 10. *De sponsalibus impuberum, quando dissensus solvantur.*

Idque in sponsalibus inter puberes contractis. Ceterum si uterque impubes sit, vel alter eorum, sponsalia utriusque dissensu non solvantur, sed tum demùm, ubi puberes facti sunt; hæc enim specie, vel solo ipsius dissensu, qui pubes factus est, sponsalia distrahantur non expectato altero sive pubere sive impubere, *cap. De illis 7. cum cap. seq. Ext. De desponsat. impub.* Nisi fortè sponsalia iurejurando confirmata essent; quo casu & alterius dissensum requirerent, *c. Ex literis 10. Ext. De sponsalib. 2.*

§. 11. *Sponsalia dissolvi ob discessum alterius.*

Alter casus est dissolvendi sponsalia; si sponsus, imprudens sponsam, in remotiores partes se contulerit *cap. De illis 5. Extravag. De sponsal.* Cum enim eo ipso sponsus videatur ex parte sua renuntiasse sponsalibus utrique & sponsam eadem potestas renuntiandi facta, intelligitur, *argum. §. in iis autem animalib. In fine. Derer. divis.*

§. 12. *Sponsalia solvi ob lapsum temporis appositum.*

Tertius est; si tempus contrahendi matrimonii convenit inter sponsam & sponsam elapsum sit, *cap. Sicut 2. Extra De sponsalibus.* Si quidem hoc tempus cum restringendæ obligationis causâ adjectum sit, ultra protendi non debet contra mentem contrahentium, *l. Non omni D Si cert. pe. rat. l. fin. Cod. De non numer. pecun.*

§. 13. *Item ob defectum conditionis.*

Quartus: si conditio sponsalibus etiam juratis adjecta, puta, *si tantum dederis*, vel, *si pater consenserit*, impleta non sit, *cap. 3. Ext. De condit. appos.* Quæ

enim sub conditione promittuntur, non ante præstentur obligationem, quam si conditio extiterit, *§. ex conditionali iust. De verb. oblig. l. Cedere diem 13. D De verb. signif.*

§. 14. *Item ob professionem Religionis.*

Quintus casus est: Si ab utroque, vel ab altero sponsorum, professio Religionis emissa fuerit. Si enim matrimonium nondum consummatum per copulam, Religionis ingressu dirimitur, *cap. 1. c. Ex publico 7. cap. Ex parte 9. Ext. De convers. conjug. multò magis sponsalia, facit l. Oratio 16. D. De sponsal.*

§. 15. *Item ob susceptionem sacri Ordinis.*

Sextus est: Si sponsus sacrum Ordinem, saltem subdiaconatum, receperit. Idque hanc rationem habet, quòd sacer Ordo plane obicit matrimonio contrahendo, *cap. 1. cap. 2. Ext. Qui clerici vel verentes, c. 1. Ext. De cler. conjug. cap. unico De consang. & affin. in Clement. Unde necesse est sponsalia in caduci causam incidant, argum. d. l. Oratio.*

§. 16. *Per subsequentem matrimonium dissolvi sponsalia.*

Septimus est: Si matrimonium cum alio tertio contrahatur, ad eò licet sponsalia jurata sint, propter fortius vinculum, quod matrimonio inest, *cap. Sicut 2. c. Si inter 3. Extravag. De sponsal.*

§. 17. *Item per sequentem fornicationem, lepram, &c.*

Octavus est: Si alter fornicationem admiserit, vel in lepram sive paraly sin inciderit, vel oculos sive nasum amiserit, aut aliud quid turpius in se contraxerit. Nam & ex his causis a sponsalibus, licet juratis, discedi potest, per *text. in c. Quomodo modum 2. §. Ext. De iur. iur. in c. fin. Ext. De conjug. l. pros.* Quippe in sponsalibus hæc conditio tacite continetur, si res in eodem statu permanserit, *d. c. Quomodo modum. 7.*

§. 18. *Item propter affinitatem subsequentem.*

Nonus casus est: Si affinitas inter sponsam & sponsam intervenerit; veluti per concubium sponsi cum matre, vel cum sorore ipsius sponsam. Cum enim propter affinitatem matrimonium impediatur contrahi, frustra contenditur de sponsalibus, *cap. Fratritati 7. cum 2. seqq. Ext. De qui cognovit consang. uxor. junge inf. tit. De affinit. d.*

§. 19. *Di*



§. 19. De dupligenere sponsaliorum.

Ceterum hic meminisse oportet, quæ hæcenus dicta sunt, pertinere ad sponsalia proprie dicta, quæ de futuro appellamus, id est, in futurum tempus matrimonii contrahendi concepta; non autem ad sponsalia de presenti, ut loquuntur Doctores, subandi, consensu conjugali contracta, quæ verum matrimonium sunt, licet nondum consummatum per concubitum, cap. Sicut 2. e. Si inter 31. eum cap. seq. Ext. De sponsa duor. can. Qui desponsatam 11. v. 11. quæst. 2. Sed de matrimonio consequenter videamus.

§. 20. Definitio Matrimonii.

Est autem Matrimonium, maris & feminae conjunctio, individua vitæ consuetudinem retinens, cap. Illud 11. Ext. De præsumpt. Eadem ferè definitio à Iustiano prodita est Inst. De patriapotes. Atque hæc conjunctio non tam corporalis est, quam animorum. Siquidem nuptias non concubitus, sed consensus facit, can. Sufficiat 22. v. 1. quæst. 2. l. Nuptias 30. D. De R. l. c. Cum locum 14. cap. Tua 25. Ext. De sponsal. Unde nec dirimitur matrimonium solo consensu contractum, per aliud subsequens cum alia matrimonium, licet carnis copulâ consummatum, cap. 3. cap. fin. De sponsa duor. & cap. penult. Ext. de sponsalib.

§. 21. Consuetudo individua qua in matrimonio.

Individua vitæ consuetudinem non eam intelligimus, quæ re ipsa individua & perpetua est: sed quoad mentem contrahentium (cum matrimonium ad tempus contrahi non possit, cap. fin. De condit. appof. in verb. vel donec inventum.) Siquidem constat, hanc vitæ consuetudinem ex post facto præter mentem contrahentium multis ex causis interrumpi & dissolvi posse; ut puta, propter adulterium & sceleratam alterius conjugum; item propter ingressum Religionis, &c. ut infra latius explicabitur, sub tit. De divorciis.

§. 22. De varia inscriptione matrimonii.

Potest individua hæc maris & feminae consuetudo, quandoque matrimonii, quandoque conjugii, interdum nuptiarum sive concubii nomine inscribitur. Matrimonii, propter matrem, cujus præcipuum munus versatur in procreanda & educanda prole, cap. 2. Ext. De convers. insid. Conjugii, quod per eam vir & mulier, uno quasi iugo adstringantur, can. Cum iniuratur 22. v. 11. quæst. 2. Nuptiarum, quod puellæ, ut Ambrosius testis est, in matrimonium ductæ olim pudoris gratiâ obnubebantur, can. Nec illud 22. quæst. 5. Quo & significabatur, viris eas obedientes subiectasque esse oportere, can. Fæmina 22. quæst. 5. Catech. Rom. de Sacram. matrim. num. 2.

§. 23. Nuptiarum nomine interdum accipi solennitates matrimonii.

Interdum nuptiarum nomen alio trahitur; videlicet, ad denotandam illam sollemnitatem & hilaritatem, quæ matrimonii celebrandi causâ adhiberi solet. Quâ significatione loquuntur sacri Canones, cum certis temporibus nuptias prohibent, in cap. Capellanus 4. Ext. De feriis, can. Non oportet cum 4. seqq. xxx. 11. quæst. 4. Alioqui nuptiæ pro contractu matrimoniali sumptæ nunquam interdictæ sunt, ne quidem Quadragesimali tempore, d. cap. Capellanus, ubi vide Panorm. & alios.

§. 24. De secundo & ultimo matrimonio.

Neque tantum permittitur primum iniri matrimonium, sed & eo morte alterius conjugum, vel alia de causa dissoluto, vide inf. De divorci. secundam, tertium, quartum, quintum, & ulterius matrimonium, can. Aperium cum 2. seqq. 11. quæst. 1. cap. penult. & ult. Ext. De secund. nupt. ad eod. ut & ipsa mulier intra annum luctus mariti defuncti nubens, nullam infamiam incurrat; d. cap. penult. & ult. licet contra censeat jus Civile, l. 1. & 2. Cod. De secund. nupt. l. 1. D. De his qui not. infam. quod hæc in re merito per sacros Canones abrogatum est, d. cap. penult. & ult. ex sententia divi Pauli: Mulier obligata est (inquit) legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino, 1. Cor. 7. Hoc tamen adjecto, ut vir vel mulier ad alterum matrimonium convolans, non benedicatur à Presbytero, propter benedictionem, quæ prioribus nuptiis adhibita fuit, cap. 3. Ext. De secund. nupt.

NOTATIO in Tit. 7.

a Florent. 1. C. in l. 1. D. De sponsalibus, vocat sponsalia mentionem & repromissionem futurarum nuptiarum: non inconiunctè; quasi repromissio denotet reciprocam sive mutuum promissionem, qua hinc inde fit inter sponsam & sponsam. Et hoc, inspecta notatione nominis, l. 2. D. eodem, alioqui etiam hæc consensus quo-



su quoque modo expresso sponsalia rectè contrahuntur, ut in § seq.

b De materia & forma matrimonii vide varias sententias Auctorum apud Gregorium de Valentia tomo 4. Comm. Thnolog. Disp. 10. quaest. 1. puncto 6. de matrim. Vbi asserit hanc communem esse sententiam Canonist. quod matrimonii materia sit mutus consensus contrahentium; forma, ipsa verba consensus exprimentia. Quæ sententia verissima est, & conformis cap. Tuæ nos 26. & ibi Glos. Ext. De sponsalib. Intelligendo tamen per verba, etiam signa vel alia indicia consensus exprimentia, quæ verborum vicem suppleant, cap. Cum apud 13. Ext. De sponsalib. Unde consequens est, ministrum Sacramenti matrimonii esse ipsos contrahentes, cum ad ministrum proprie spectet verba forma pronuntiare Bellarm. de matrim. Sacram. lib. 1. c. 6. verif. Ex his patebit.

g Nisi malitia atatem suppleat; ut in specie cap. 3. Ext. De sponsalib. De quo latius ibidem apud D. & Did. Covarr. in 4. Decretal. p. 1. cap. 2. De sponsalib.

d Et sic facile conciliantur cap. Ex literis 10. & cap. Requiriuit 17. Ext. De sponsalib. quorum priore per censuram Ecclesiasticam sponsus cogipotest ad contrahendum matrimonium; posteriore minime: ut illud ex auctoritate, ubi nulla causa subest, cur cogi non debeat. Nam hoc ratione fiet, ut facile ex volente fiat volens, arg. rext. sing. in can. Vides XIII. quaestione 6. Caterum, si causa subest, puta, si unus alterum ita exhorrescat, ut verisimile sit difficilem futurum exitum matrimonii; tunc abstinendum esset à censura: & sic posterius cap. accipiendum est.

c. Ex hoc §. constat, sponsalia voluntate sponsi & sponsa dissolvi posse, instar societatis, quæ & mutuo sociorum consensu destrahitur, 1. Actione 66. §. diximus D. Pro socio. Idque addo, licet sponsalia iuramento confirmata sint, ex sententia Panorm. & omnium DD. teste Felino, ad cap. 2. Ext. De sponsalibus. Quod in quolibet iuramento notandum & retinendum est, ut quoties iuramentum ad commodum alterius præstitum est, possit ab eodem remitti. Felin. ad d. cap. 2. numero 33. Quo loco id late persequitur & probat text. in cap. 1. Ext. De iurejur. Adde D. Thom. in 2. 2. quaest. 89. art. 9. ad 2. & Navarr. in Manuali cap. 12. num. 25. Nec movet text. in d. e. 1. ibi, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi; quæ ex his verbis videntur colligi, id permitti quidem, sed non absque peccato, argum. c. Cum jam dudum 18. Ext. De præbendis. Sed respondetur id intelligi debere, quod impune quidam & abs-

que peccata admittatur hac dissolutio sponsalium, interim malle summum Pontificem detestanda inconstantia causâ in re tanti momenti matrimonium potius contrahi: ac proinde, aut commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, non autem compellendi. Atque hanc explicationem iuvat argum. in eod. cap. 2. adductum à societate, quæ sociorum consensu dissolvitur, ut ante probatum est.

2. Licet utriusque consensus solvantur sponsalia, ut præcedenti §. dictum est; is tamen consensus in minore ante pubertatem non admittitur, propter statûs inconstantiam: sapè enim contingeret impuberes contrahere, & sapè à contractu resilire. Is autem, qui ad pubertatem pervenit, non tenetur alterum expectare, qui adhuc impubes est, sed libere à sponsalibus discedit: nisi iuramentum intercesserit in sponsalibus, quod hanc obligationem inducit, ut tunc pubes factus non possit discedere absque alterius consensu, juxta ea. quæ tradidit Covarr. in 4. Decretal. p. 1. c. 5. §. 1. De sponsal. Quæ pertinent ad explicationem textus nostri.

y Idem iudicium est de fornicatione spirituali, quæ scilicet alter ex sponsis in hæresim vel gentilismum labitur. Item si superior sit, vel ad peccandum alterum compellat. Nam cum ex his causis matrimonium contractum quoad cohabitationem separaretur §. Nonnumquam in §. iii. De divor. multò magis impeditur contrahendum: propter rationem text. in cap. Quemadmodum 25. Ext. De iurejur.

d Præcedentes modi dissolvendi sponsalia exploratoriis sunt; quibus tamen adijci possunt capitales inimicitie, ex Hostiensis in Summa hoc tit. §. si propter rationem, cap. 2. & cap. Requiristi Ext. hoc tit. Explicat Prapof. ad c. De illis autem num. 5. Ext. eod. Idem si fama sit impedimenti Canonici inter sponsos ad contrahendum matrimonium, vel scandalum, cap. Cum 17. Ext. hoc tit. Idem si super venerit cognitio legalis, §. si in inf. De cognatis. Idem si post contracta sponsalia huiusmodi quid evenerit sive emerferit, quod si præcessisset, non sufficere contra facta sponsalia, secundum mentem D. Thom. in lib. 4. Sent. distinct. 27. quem ita refert Navarr. in Manuali cap. 22. num. 27. circa fin. Quod certè ratione non caret; cum in generali sive simplici obligatione non contineantur ea, de quibus verisimiliter non est cogitatum. 1. Obligatione generali 6. D. De pignori. l. 1. C. Quæ res pignori oblig. poss. l. Si libertus 30. D. De oper. libert. & cap. Veniens 16. Ext. De iurejur. Quod prædens iudex æstimabit. Vbi & illud observandum, quod quando sponsalia ipso iure dirimuntur, vel ubi manifesta causa est dissolvendi sponsalia, non requiratur auctoritas iudicis circa dissolutionem; nisi sponsalia sint clandestina; sed quod tunc scandalum esset: alias



aliis exigitur sententia iudicis, ex iis, quæ tradit Navar. d. cap. 22, num. 28.

1. Hac autem tempora Concilium Trident. sess. 24, cap. 10, de reformat. matrim. his verbis definitur: Ab adventu Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & à feriis quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit, in aliis verò temporibus solemniter celebrari permittit.

x Refert D. Hieronymus in epistola ad Gerontiam, Damasti temporibus fuisse Roma par conjugum, quorum altera virgini uxores sepeliverat, altera maritos virgini &

unum Nec obstat can. Hac ratione xxxi, q. 1, in quo secunda nuptia vocantur fornicatio Nam hic canon à Gratiano in Decretum suum coniectus est ex opere imperfecto, quod falso D. Chrysoſtomus inscribitur; quodq; vel cuiusdam hæretici est, vel corruptum ab hæreticis, sicut asserit Bellarm. de matrim. Sacrament. lib. 1, c. 9. Nam verum Chrysoſtomum aliter loqui docet annotatio postrema editioni Gregoriana adjecta ad d. can. Hac ratione Igitur hoc cap. rejiciendum est. Nec enim omnia capitula à Gratiano Decreto suo inserta, à nobis recipienda sunt, sed quatenus sicut deprompta ex probatis auctoribus, sicuti latius supra ad tit. 1, notavimus.

## QUÆ IN CONTRAHENDO MATRIMONIO SPECTANDA.

## TITULUS X.

**I**N Matrimonio contrahendo tria hæc necessarii spectantur, personæ, ætas, & consensus contrahentium.

## § 1. De personis contrahentium.

In personis hæc regula observatur: Quòd omnes ad contrahendum matrimonium admittantur, quibus à jure non est interdictum. Quippe edicti prohibitorii est matrimonium, text. est in c. Cum apud 23, Ext. De sponsalib. Quibus autem interdictum sit, sequentibus Titulis explicabitur.

## § 2. De ætate contrahentium.

Quoad ætatem contrahentium, ea quidem ex annorum numero juxta præscriptum juris Civilis æstimari solet, lætit. De nuptiis in princ. juncto ut lætit. Quib. modis uti finit. c. 3, Ext. De spons. impub. videlicet in masculo decimoquarto anno, in femina duodecimo complerò: sed rectius sacri Canones eam metiuntur ex pubertate, id est, ex vigore naturali, quo quis generare potest, ad eò quòd hic vigor prædictum annorum numerum nonnumquam antevertat, d. cap. 3, cap. 8, cap. 9, c. fin. De spons. impub. c. fin. Ext. De eo qui cognovit conjug. Et hoc cum accidit, dicitur malitia live prudentia supplere ætatem, scilicet juris Civilis, d. cap. 9, c. fin. cap. unico § 1, De spons. impub. in 6.

## § 3. De contractu impuberum.

Vnde si pubes & impubes, vel duo impubes non proximi pubertati, & in quibus ætatem malitia non supplet, verbis consensus matrimonia-

lem exprimentibus contraxerint, nullum inter eos erit matrimonium: usque ad eò, ut ne quidem pubertate adveniente matrimonium convalescat; nisi per carnis copulam subsecutam, vel aliquem modum alium contrahentes eosdem cum ejusdem perseverantia voluntatis, ad pubertatis tempora pervenisse constiterit evidenter, text. in d. c. unico § 1, c. A nobis § 2, Astestaciones 10, c. fin. Ext. De spons. impub. Licet alioqui illud matrimonium ita perperam contractum, juris interpretatione resolvatur in sponsalia de futuro, d. c. 10, c. fin. c. d. § 1, ut eo saltem modo contractus valeat, quo valere potest, arg. l. Si tam angusti 13, De d. servitutib.

## § 4. Casus singularis, quo inter impuberes matrimonium permittitur.

Sanè unus casus est, quo inter impuberes matrimonium toleratur, ex constitutione Nicolai Papæ Distinctius, inquit, inhibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus vel Canonibus determinatam non pervenerit, conjugantur; Nisi forte aliquà urgentissimâ necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur, text. est in cap. 1, De spons. impub. & ibi Panorm.

## § 5. De consensu contrahentium matrimonium.

Jam quod attinet ad consensum contrahentium; is plane in matrimonio contrahendo necessarius est, cap. Tuanos 26, in fine Ext. De sponsal. can. Sufficiat xxvii, quæst. 2, adeoque liber ab omni metu, c. Cum locum 14, Ext. De sponsal. cum coactæ

Nond

nuptiæ



nuptiæ difficilem soleant habere exitum, d. cap. Cum locum cap. Requisivis 17, in fine De sponsal. Intel-  
ligimus autem metum, qui iustus est. hoc est,  
qui in constantem vicum cadit, cap. Veniens 15, cap.  
Consolationi 28, eod. tit. Cujusmodi est metus mor-  
tis, verberum, servitutis, l. 1. §. fin. cum ill. seqq. D. De  
eo quod met. caus. cap. penult. Ext. eod. tit. vinculo-  
rum, l. penult. §. si iusto. d. tit. Stupri, l. isti quidem 8, §. quod si  
dederit eod. tit. Neque interest contrahens suâ cul-  
pâ, an alienâ in hoc metum inciderit, veluti in  
eo, qui in stupro deprehensus cum puella, strî-  
ctopugione adigitur, ut cum eadem in matri-  
monium conveniat, d. cap. Veniens 15, juncto d. c.  
Cum locum 14, De sponsalib. l. Nec timor 7, §. 1, cum l.  
seq. D. De eo quod met. causa.

§. 6. Vanus timor matrimonio nihil obsist.

Cæterum vani metus nulla excusatio est, l.  
Vanitatis 84, D. De R. l. l. Metum 9, D. De eo quod  
met. caus. Qualis est & metus reverentialis, quo  
filius vel filia ob reverentiam parentum nullis  
verberibus aut alio iusto metu adacta in matri-  
monium oblatum consentit, l. Si pater 22, D. De  
vitu nupt.

§. 7. Purgatur iustus metus duobus modis.

A iusto tamen metu recessum videbitur, si  
metum passus passivè, sponte alteri contrahe-  
ntium cohabitaverit, c. Ad id 21, ext. De sponsal. aut  
corpus illi suum commiscuerit, c. 2, §. ibi Gloss.  
ext. De eo qui duxit in matrim. Convalescit enim  
hujusmodi matrimonium, novo succedente con-  
sensu libero, saltem tacito. Jam dicitur iuris facit text.  
in l. 1, C. de his qua vi metusve caus. Coniunge decre-  
tum Concilii Trid. de quo inf. De clandestino matrim. quo  
hujusmodi præsumpta matrimonia abrogata sunt.

§. 8. Sufficit quocumque modo exprimi consensum  
liberum.

Nihil verò interest, consensus in matrimonio  
verbis, an nutu, an alio indicio à contrahenti-  
bus exprimat, c. Cum apud 23, c. Tua fraternitati  
25 §. ibi. Panorm. §. ali. ext. De sponsal. d. can. Suffi-  
cietat xxvii. qu. 2, juncto l. 2, D. De action. §. oblig.  
Nam & per procuratorem matrimonium iniri  
posse placuit; dum tamen ad id specialiter con-  
stitutus, neque medio tempore revocatus fuerit,  
c. fin. De procuratorib. lib. 5.

§. 9. Matrimonium purè & sub conditione contra-  
hitur.

Planè & purè & sub conditione hic consensus  
interponi potest. Purè, veluti, Accipio te in uxorem,  
& ipsa mulier consentiat sub conditione, Acci-  
pio te in uxorem, si patri placuerit; vel si tantum dederit.  
Et purè contractum matrimonium statim effe-  
ctum suum sortitur; alterum ex eventu conditio-  
nis pendet, c. Super eo 5, ext. De condit. appof. facit c.  
Per tuas 6, jam d. tit. Junge §. ex conditionali Infit. De  
verb. oblig. §. vide qua habet Navar in Manuali. c. 22,  
n. 62, cum seq.

§. 10. Qualis conditio adijci possit contractui matri-  
moniali.

Conditionem autem honestam & possibilem  
intelligimus si qua enim turpis vel impossibilis  
conditio contractui matrimonii adjecta fuerit;  
ut putà, si hominem interfeceris, si cælum di-  
gito tetigeris, ea pro non adjecta habetur, in fa-  
vorem matrimonii, cap. 1, c. fin. ext. De condit. appof.  
nisi conditio repugnet naturæ matrimonii; qua-  
les sunt, si generationem proles evitaveris; vel  
donec inveniam aliam honore vel facultatibus  
ditiozem; aut, si pro quæstu adulterandam re-  
tradideris. Nam harum adjectione etiam unus,  
contractus matrimonialis vitatur, nulliusque  
momenti est, d. cap. fin. in princ. can. Soles cum can.  
seq. xxxii. q. 2, eò quòd hæ conditiones pugnant  
cum tribus bonis (ut appellant) substantialibus  
matrimonii, quæ sunt proles, fides, & sacramen-  
tum, can. Omne xxvii qu. 2, juncto d. can. Soles cum c.  
seq.

§. 11. Consensus parentum an necessarius sit.

De consensu parentum vulgò quæritur, An  
omissus à filio familias infirmet contractum ma-  
trimonii? Sed magis est, non infirmare, per sex in  
c. penult. Ext. De rapitorib. in c. Per tuas 6, ext. De con-  
dit. appof. Conc. Trid. sess. 24, c. 1, in princ. de reform.  
matr. & declaratio Carolina in Concilio Augustani  
Anno 1584, tit. de Sacram. matrim. circa fin. cum solo  
contrahentium consensu matrimonium consistit.  
Idem namque videre est & in matrimonio servis  
repugnantè & invito domino, inito; quod nihil-  
ominus verum matrimonium est auctoritate  
SS Canonum, can. 1, ext. De coniugio servor. §. inf.  
§. prox. Neque obsistat sex in can. Aliter, xxx. q. 5, quia  
sensus explicat in fine, ibi, nisi voluntas propria, &  
addo can. Nostrates ead. q. 5.

§. 12. Ma.



§. 12. *Matrimonium impediri propter errorem persona & status: secus de aliis qualitatibus.*

Illud quoque animadvertendum est in consensu matrimoniali, ut & is in certam personam conferatur. Nam si quis errore ductus contrahat cum Mævia, quam Titiam arbitratur, nihil efficit, *xxix. q. 1.* cum nihil tam contrarium consensui sit, quam error, *l. Si per errorem 15, D De iur. iur.* Idem est, & si quis circa statum personæ erraverit, putans se contrahere cum libera, quæ reverà ancilla est, *cap. 2. & cap. fin. ext. De conjug. servor. & d. q. 1.* Quamvis diversum sit, si in nobilitate, virginitate, divitiis, aut in simili qualitate

erratum fuerit. Nam in his error nihil officit contractui matrimoniali, *d. q. 1, Henr Boich Ad. Proposuit Ext. de conjug. servor. late Covarr. in 4. parte: cap. 1. §. 7.* Et in his ratio diversitatis est, quod non impediatur liber usus matrimonii: secus in aliis.

Notatio in tit. 10:

*a Ob eandem rationem vitiatur matrimonium, etiam si conditio honesta contra substantiam matrimonii sit adjecta: veluti, Contraho tecum, si mecum vivis in perpetua castitate & continentia. De quo vidæ. Covarr. in 4. Decret. p. 2. cap. 3. §. 1.*

## QVI PROHIBENTVR MATRIMONIUM CONTRAHERE.

### TITULUS XI.

*De duplici genere eorum, qui impediuntur contrahere matrimonium.*

**N**on tamen omnibus licet contrahere matrimonium: Quidam enim ad eod prohibentur, quod matrimonium per eos contractum inane prorsus & irritum sit. Quidam prohibentur quidem, sed tamen valet ab his contractum matrimonium, ita permittentibus sacris Canonibus, ad eod quod nefas sit matrimonium dissolvi. Prioris generis sunt cognati, affines, Religionem professi, in sacro Ordine constituti, impotententes, infideles, homicidæ, adulteri, conjugati, clam contrahentes matrimonium. Posterioris generis sunt simplici castitatis voto adstricti, hæretici, incestuosi, & nonnulli alii. De quibus omnibus separatim & ex ordine differemus.

Notatio in Tit. 11.

*a Tametsi ad ineundum matrimonium aetas legitima & consensus contrahentium sufficiat, c. Cum locum*

*14. c. Cum apud 23, Ext. De sponsalib. juncto c. 2. De desponsat. impub. id tamen ita exaudiendum est, dummodo contrahentes matrimonii suscipiendi capaces sint: quod tunc accidit, si nullo impedimento Canonum detineantur, nam licet matrimonium à Deo, utpote omnibus hominibus commune, institutum sit, Genes. 1. cap. Ecclesia tamen CHRISTI, qua divino spiritu ducitur, Matth. 8, Joan 14, & Lucæ 10, quosdam à contrahendo matrimonio prudenter submovent, constituta in hanc rem duplici impedimentorum genere. Vnum est, quo non solum quis contrahere prohibetur, verum etiam si contraxerit, à contractu tamquam planè inani discedere cogitur. Alterum, quo quis solum prohibetur contrahere: sed si contraxerit, sustinetur matrimonium, ita ex ea causa permittentibus SS. Canonibus. Vnde prioris generis impedimenta vulgò impedientia & dirimentia matrimonium appellantur: posterioris verò impedientia solummodò. De utroque genere agitur seqq. Titulis.*

## DE COGNATIS.

### TITULUS XII.

§. 1. *Cognati unde dicantur.*

**C**ognati dicuntur, qui ex uno nati sunt: aut, ut Labconi videtur, qui unum quasi nascendi initium commune habent, *l. 1. D. Unde cognati: vel verè, ut in consanguinitate: vel*

*fi ceterè, sive juris interpretatione, ut in adoptatis & conjunctis spiritali cognitione, de quibus in §. Cognatio spiritalis 10, cum §. seq. & ult. infra eod. hoc tit.*

Nova :

§. 2. Co-



## § 2, Cognatio triplex.

Quare cognatio triplex est; una naturalis; altera, spiritualis; & tertia, legalis.

## § 3, Naturalis cognatio inter quos est.

Naturalis cognatio inter eos est, qui ex communi parente descendunt, qui & Consanguinei dicuntur, quasi uno sanguine conjuncti, de quibus Ext. De consang. & affin. c. xxv, q. 2, cum seqq. Quo numero censentur non tantum ex legitimo matrimonio, sed & ex illicito concubitu nati, c. 9, Per tunc 10, Ext. De probat. l. 2, D. Unus cognati. a

## § 4, Cognationis naturæ triplex ordo.

Atque horum cognatorum triplex ordo est. Aut enim sunt ascendentes, ut parentes; aut descendentes, ut liberi; aut ex latere sive ex transverso venientes, ut fratres, sorores, liberi que eorum, patruus, amicus, avunculus, matertera, patruus magnus, amica magna, id est, avi frater & soror, avunculus magnus, matertera magna id est, avi frater & soror. De his & aliis latius in Inst. de grad. cognat. c. in l. 1, cum ll. seqq. D. De gradib. affin.

## § 5, Inter ascendentes &amp; descendentes perpetua matrimonii prohibitio est.

Et quidem inter ascendentes & descendentes perpetua sive in infinitum matrimonii prohibitio est, ex jure gentium, teste Paulo IC in l. fin. de ritu nupt. junctal. Nuptia 7, eod. tit. Panorm. ad c. Non debet, 8, Ext. De consang. & affin.

Agunt tamen contra jus gentium, qui contrarium asserunt, & ad quartum tantum gradum hanc prohibitionem constriungunt.

## § 6, Inter transversales prohibitio quò se extendat.

Inter transversales verò sive ex latere venientes, olim quidem prohibitio matrimonii septimo gradu circumscripta erat, can. de consanguinitate, can. de consanguinitate, can. Nullus xxxv, q. 3, sed hodie ex constitutione Innocentii III, in generali Concilio Lateranensi, redacta est ad quartum consanguinitatis gradum, d. c. Non debet, de consang. & affin. c. Cum in prohibito 3, Ext. De clandest. desponsat. Intellego, ut & is quartus gradus eadem prohibitionem contineatur, ut ex sequenti patet. Quare qui quinto gradu ex transverso à se invicem distant, hodie in matrimonium rectè conveniunt, ex d. cap. Non debet. Similiter & illi, quorum unus quinto, alter quarto vel tertio, vel proxi-

miore à communi stipite distant; cum is, qui remotiori gradu est, proximior ad se trahat favore matrimonii, cap. fin. Ext. De consang. & affin.

## § 7, Quid gradus.

Gradus autem dicti sunt à similitudine scalarum locorumque proclivium; quos ita ingrediuntur, ut à proximo in proximum, id est, cum, qui quasi ex eo nascitur, transeant. Ita Paulus IC, in l. jurisconsultus 10, §, gradus D. De gradib. affin.

## § 8, Graduum subdivisio.

Itaque ex ascendentibus sursum versus, primum gradum occupant pater & mater, secundum avus & avia, tertium proavus, proavia; & sic deinceps. Ex descendentibus deorsum versus, primum gradum faciunt filius & filia, secundum nepos & neptis, tertium pronepos & proneptis, & ita subsequenter, ut videre est sub tit. Inst. de grad. cognat. in l. 1, c. 2, l. jurisconsultus 10, De grad. affin. in can. Primo gradu xxxv, q. 5. Ex collateralibus verò sive transversalibus primum gradum constituunt frater & soror, secundum ex his filius & filia, tertium nepos & neptis, quartum pronepos & proneptis, can. Ad sedem, can. Parentela eod. q. 5, Et inter hos solos hodie matrimonium prohibitum est, d. c. Non debet Ext. De consang. & affin. b

## § 9, Subductio graduum in collateralibus.

Ad cognoscendum autem, quoto gradu collateralis vel transversalis unus ab altero distet, ante omnia investigandum est, in quem tamquam communem stipitem uterque concurrat, quo reperto incipiat sursum, versus ab utroque, si & quales sint gradus; si minus, ab ulteriori; nam ulterior proximior stipiti ad se retrahit favore matrimonii, ut supra eod. §, in c. fin. Deinde ab hoc gradu transitus fiat in proximum gradum, & sic consequenter, ascendendo per singulos gradus, proximum semper numerando, donec ad communem parentem deveniatur: qui tamen parens gradum non efficit, sed ipse filius & filia primum gradum constituunt, & ex his filius & filia secundum gradum: donec ita per singulos gradus descendendo, redeatur ad eorum, de quorum conjunctione agitur. Similis subducendi formula est in d. l. jurisconsultus §, sunt & ex latere, & res ipsa dicitur. Neque distent arbor consanguinitatis, que corpori Canonico



gico affuta, ad hanc normam videretur explicanda.

§ 10. De cognitione spirituali.

Cognatio spiritualis ex eo dicta est, quod contrahatur ratione Sacramentorum, quæ spiritualia sunt: non quidem omnium, sed dumtaxat Baptismi & Confirmationis, cap. ult. hoc tit. in 6. Etenim per Baptismum spiritualiter renascimur: & per Confirmationem perfectiones reddimur Christiani, can. 2, de consec. dist. 9. Urigitur per naturalem natiuitatem naturalis cognatio nascitur, de qua jam antè egimus, ita per spirituales cognatio spiritualis, de qua Ext. & in 6. De cognat. spirit. & in l. Si quis aliam nam 26. C. De nuptiis, cuius & Origenes mentionem facit in epist. ad Pauli ad Rom. 6.

§ 11. Cognatio spiritualis inter quos contrahatur

Contrahitur vetò hæc cognatio iure Decretalium inter Baptizatum & illum, qui eum suscipit de Baptismo, ac inter eundem baptizatum & suscipientes filios & uxorem ante susceptionem carnaliter cogitam ab eodem; imò etiam inter suscipientem, patremque baptizati & matrem, per textum in cap. 1. De cognat. spirit. in 6, adde c. 3, 4, 6. & 8, Ext. eod. Quin & ea, quæ de suscipiente dicuntur, eadem transferuntur & ad baptizantem, d. cap. 1, §. fin. Sed & eisdem modis ex Confirmatione spiritualis cognatio oritur. Vtraque cognatio & ex Baptismo, & ex Confirmatione, matrimonium non solum impedit contrahendum, verum etiam post contractum diuitit, iam alleg. iurib. Idque iure Decretalium.

§ 12. Correctio Concilii Tridentini in cognitione spirituali.

Verum postea Concilium Tridentinum hæc cognationem spirituales non nihil restrinxit: statuit enim, ut vnus tantum sive vir sive mulier, ius a sacrorum Canonum instituta, vel ad summum vnus & vnus baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizati que patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur, y. Et paucis interiectis. Ha quoque cognatio, inquit, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illius patrem & matrem ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis, text. est Conc.

Trid. sess. 24, cap. 2, de reform. matrim. ubi la-  
tius.

§ 13. De cognitione legali.

Cognatio legalis ex eo appellationem sortita est, quod a legibus civilibus patitur in omnium inventa & inducta sit, sed si qua Instit. De nupt. l. Per adoptionem 17, D. De ritu nupt. Deinde probata & recepta à sacris Canonibus, ut in c. unic. Ext. De cognat. legal. vide can. 1, xxx, q. 3, & Covarr. in 4, Decret. p. 2, cap. 6, §. 5. Si qua enim per adoptionem mihi soror esse coeperit, quam diu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt, text. est in d. c. unic.

Neque enim honestas paritur (cujus & in contrahendis nuptiis nuptiis habetur ratio,) ut quis cum sorore licet adoptiva in matrimonium coeat, l. Semper in conjunction. 42, D. De ritu nupt.

Notatio in Tit. 12.

a Hinc tamen non inferes, quod cum habeamus omnes communem parentem Adamum, ideo nos invicem cognatos esse: quia hic de propinqua parente quaeritur, cuius prospectu matrimonium vel permittitur vel interdicitur. Vide text. sing. in can. 1, xxxv, q. 1.

b Quoad subductionem graduum inter ascendentes & descendentes, hoc est, in recta linea, nulla differentia est inter ius Canonicum & Civile, ut indicant loca in margine adscripta: at in linea collateralium sive transversalium discrimen hoc est, quod de iure Canonico primum gradum constituunt frater & soror; secundum fratris sororisque filius & filia, & sic deinceps. De iure Civili frater & soror secundum gradum faciunt, l. 1, & l. Jurisconsultus 10, D. De gradib. & affin. & tit. Inst. De grad. cognat. Idem propter successiones hereditarias, in qua patris vel matris persona prima numeratur, exclusis fratribus & sororibus defuncti, d. l. Jurisconsultus 8, iust. & ex lateribus, vel idem faciendum. Nisi quod hodie fratres & sorores simul admittantur una cum parentibus, ex Justit. Nov. 118, de heredibus ab intest. §. hignitur defunctus descendentes cum §. seq. itaque cum ius Civile sing. ariam rationem non habeat in gradibus matrimonialibus recensendis, permittit matrimonium inter liberos duorum fratrum vel sororum, vel fratris & sororis, duorum Inst. De nupt. quod damnant 56. Canones, quos hac in re mirè sequimur. Appo. 2. hinc, cum hi propter Baptismum non suscipiunt extra Ecclesiam sint, adhuc usus esse potest iuris Civili. c. Gaudemus 121, De divort.

Nooo 3

y Acc



¶ Ho. idem Trecetum cognationis spiritualis declaravit Pius V. non excedere debere personas in eodem numeratas; ac proinde nullam cognationem spirituales contrahi inter matrem & uxorem suscipientis & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem, & quascumque

alias personas, tam ex parte suscipientis, quam baptizantis & baptizati, in dicto Decreto nominatim non expressas. Hæc declaratio facta est anno 1566. 4. Kalen. Decemb. & extat in Bullario Roma edito.

## DE AFFINIBVS.

## TITULUS XIII.

## §. I. Affines qui?

**A**ffines sunt viri & uxoris cognati; dicti ex eo, quod dux cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit, l. 4. §. affines D. De gradib. affin. non quod cognati viri & uxoris inter se affines sint, sed quod cognati viri fiant affines uxori, & e contra, cognati uxoris fiant affines viro: ut, verbi gratiâ, Titius affinis est cognatis uxoris suæ, & e diverso, uxor est affinis cognatis Titii. Ad cæteros enim affinitas non porrigitur, cap. Quod super §. Ext. De consang. & affin. Ut hinc pater & filius cum matre & filia, item duo fratres cum duabus sororibus, avunculus & nepos cum duabus sororibus, & sic de cæteris consanguineis diversarum cognationum, inter se canonicè conjungantur, non autem ipse vir cum cognatis mulieris, neq; ipsa mulier cum cognatis viri sui, d. c. Quod super.

## §. 2. Affinitatem contrahi etiam ex illicito concubitu.

Non minus hæc affinitas contrahitur, juxta præscriptum sacrorum Canonum, ex illicito concubitu, cap. Discretionem 6. §. c. 10. Ext. De eo qui cogn. consang. can. Nec eam xxxv. qu. 2. ad eod. ut si quis privignam vel aliam ex cognatis uxoris suæ cognoverit, nec debitum possit petere ab uxore, utpote jam affine, nec, eâ mortuâ, cognitam in uxorem ducere, c. 1. Ext. De eo qui cognovit consang. can. Quadam cum fratre cum can. seqq. xxxii. q. 7.

## §. 3. Prohibitio matrimonii inter affines quousque se extendat.

Erat & olim hoc impedimentum matrimonii, quod ex affinitate exurgit, ad septimum usque gradum, can. Nullum in utroque, can. Equaliter, can. Sanè cum seq. xxxv. qu. 3. sed hodie instar consanguinitatis redactum est ad quartum gradum inclusivè, c. Non debet 8. §. prohibitio Ext. De consang. & affin. Cum enim per mutuam corporum com-

municationem vir & mulier una caro fiant, d. cau. Nullum in utroque c. Sanè & can. neo xxxii. q. 4. ratio postulat, ut alter ab alterius consanguineis æquè ut à propriis abstinere, c. 1. Ext. De consang. & d. can. Equaliter.

## §. 4. Correctio hujus impedimenti inter affines ex fornicatione.

Adhibita tamen moderatione Concilii Tridentini quoad affinitatem ex fornicatione provenientem, quam hic liber iisdem verbis subjicere: Præterea, inquit, Sancta Synodus iisdem & aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui primo & secundo gradu conjunguntur, restringit. In ulterioribus verò gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere, sess. 14. c. 4. in decreto de reform. b

## §. 5. Inter affines graduum subductio.

Inter affines eodem ordine, quo inter consanguineos, gradus subducuntur; verbi gratia, qui cum sorore mea rem habuit, si ve licitam, ut in matrimonio, si ve illicitam, id est, extra matrimonium, is in eodem gradu, hoc est; in primo gradu mihi affinis est; qui cum nepte mea, in secundo gradu, & sic deinceps, can. Porro xxxv. q. 5. Quid de affinibus ascendentibus & descendentibus, vide Henr. Boich ad d. c. Non debet n. 3. De consang. & affin.

## §. 6. De variis generibus affinitatis.

Cæterum hic animadvertendum est, nos loqui de primo affinitatis genere, non de secundo aut ulteriore; quod exemplo illustrandum est. Sit mihi frater vel alius consanguineus, qui Titiam uxore duxit, hæc Titia mihi meisq; consanguineis



guineis affinis est in primo affinitatis genere. Si, fratre vel consanguineo illo defuncto, superstes Titia alteri rursus nupserit, hic secundus maritus Titia, mihi & reliquis meis consanguineis conjunctus erit in secundo affinitatis genere; eò quòd nobis jungatur propter copulam cum Titia affine nostra. Quòd si Titia mortuà, hic secundus maritus aliam uxorem duxerit, hæc uxor me, cæterisque consanguineos meos contingeret in tertio affinitatis genere; quia ei jungitur, qui nobis secundo affinitatis genere junctus est. Nam copula addita copulæ efficit hæc diversa genera affinitatis. Itaque jure veteri inter hos affines cujuscumque generis interdicta erant nuptiæ, *can. i. cum seq. xxxv. q. 10. can. De propinquis & can. Porro xxxv. q. 1.* Verùm postea ex Innocentiana constitutione in Concilio generali Lateranensi edita, interdictum hoc ad primum affinitatis genus coarctatum est, *in d. c. Non debet circa prim. Ext. De consang. & affin.* ita ut qui superstiti uxori fratris mei defuncti matrimonio junctus fuit, non prohibeatur hodie, eam mortuam, aliam ducere ex consanguinitate mea. Imò ne quidem filius prohibetur ex secundo affinitatis genere natus, ex consanguinitate mea uxorem accipere, *d. c. Non debet, vide Glos. Panorm. & alios ibid. & Hostiens. in Summa de affin.*

§. 7. De justitia publica honestatis.

In affinium classem quodammodò referuntur cognati sponsi & sponsæ, licet nondum matrimonium inter eos contractum sit, *l. Servitus 8, D. De grad. affin.* Exigit enim publica honestas, ut sponsus à cognatis sponsæ suæ, & è diverso sponsa à cognatis sponsi sui, abstrineat, *c. 4, cum 2, seq. c. 9, Ext. De despons. impub.* Non enim in conjunctionibus tantum spectatur quod licet, sed etiam quod honestum est, *l. temper 42, D. De ritu nupt.* Hinc vulgò hoc impedimentum dicitur publicæ honestatis justitiæ, cujus & jus Civile emittit, *in l. Si qua 12, §. 1, D. eod. tit. & in §. si uxor Inst. De nuptiis.*

§. 8. Justitiam publicæ honestatis oriri ex quibuslibet sponsalibus.

Neque solum hoc impedimentum provenit ex sponsalibus legitimè contractis, verum etiam, si quæ ob causam consanguinitatis, affinitatis, Religionis, professionis, vel similem, Sponsalia perperam contracta sint, dummodò non sint nulla ex defectu consensus; idque ex Bonifacii

constitutione, *in c. unico De sponsalib. lib. 6, quod & Alexander III. in sponsalibus inter consanguineos contractis antea constituerat in 4, cap. ext. De sponsalib.* à qua tamen discessum est per Concilium Tridentinum, ut jam dicitur.

§. 9. De gradibus hujus impedimenti.

Et quidem jure Decretalium hoc impedimentum quarto gradu circumscriptum erat, *d. c. Non debet 9, Ext. De consang. & affin. prebat eleganter Panorm. ad c. Sponsam De sponsal.* Nunc verò ex Decreto Concilii Tridentini valde imminutum est; cujus verba hæc sunt: Justitiæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari, *sess. 23, c. 3, in decreto de reformat. matrim.*

§. 10. De sponsalibus de præsentibus, quoad hoc impedimentum.

Ubi tamen meminisse oportet, hanc Concilii Tridentini moderationem non pertinere ad sponsalia, quæ de præsentibus appellamus, sed tantum ad sponsalia de futuro, hoc est, quæ in futurum tempus matrimonii contrahendi collata sint; ex declaratione Pii V. *vide Extravag. Ad Romanum, editam anno 1568, in Bullario.*

§. 11. De sponsalibus conditionalibus.

Sed neque impedimentum hoc pertinet ad sponsalia conditionalia, ante conditionis eventum, sicut disertè à Bonifacio Octavo expressum est: *Alle verò, inquit, qui sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum, cum alia prioris consanguinea, per verba contraxerit de præsentibus, cum secunda remanere debebit: cum ex sponsalibus conditionalibus ante conditionem extantem, sicuti consensum non habentibus & incertis nulla publicæ honestatis justitiæ oriatur, text. est in cap. unico §. fin. De sponsal. lib. 6. g.*

§. 12. Poena contrahentium matrimonium in gradibus prohibitis Item de Dispensatione.

Si quis autem, *inquit Concilium Tridentinum,* intra gradus prohibitos licenter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idque in eo multò



multò magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subijciatur pœnis. Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiat, cujus salubria præcepta temerè contempserit. Si verò solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omninò detur dispensatio, vel ratò; idque ex causâ & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur; nisi inter magnos Principes & ob publicam causam, *Concil. Trid. sess. 24, c. 1, de reform. matrim. conjungeo, fin. Ext. De clandest. sponsas.*

§. 13, De liberis ex injustis nuptiis natis sive conceptis.

Porro quod attinet ad liberos ex injustis nuptiis, eadem ferè distinctio adhibetur, ut, si scianter parentes eorum contraxerint, liberi ex eodem matrimonio nati pro illegitimis habeantur; si ignoranter, sed præmissâ deputatione publicâ in Ecclesia, legitimorum numero sint, *c. 6, fin. §. si quis vero Ext. De clandest. sponsas cap. 2, Ext. Qui filii sint legit. ad eò quòd & unius contrahentium ignorantia hac in re sufficiat, Glos. ad d. §. si quis per text. sing. in cap. penult. Ext. Qui filii sint legit. Secus ubi publicâ in Ecclesia deputatione omiſsa*

fuit; nihil enim tunc prodest liberis præterea ignorantia parentum, cum illi taliter contrahendo non expertes scientiar, vel saltem affectatores ignorantia videantur, *d. §. si quis vero.*

Notatio in Tit. 13.

a Ratio hujus ex D. Paulo desumi potest, *1, Corinth. 6, ubi his verbis inquit: Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi. Tollens ergò membra Christi, faciam membra meretricis? absit. Ad nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur: Erunt enim (inquit) duo in carne una. Hæc D. Paulus Adde can. In eo xxii, quæst. 4, Unde fit, quòd ac unitas non minùs contingat in illicito concubitu, quàm in licito. Cui & hoc consequens est, ut si nulla adhuc carnalis copula inter maritum & uxorem intercesserit, nulla quoque affinitas ex tali matrimonio propriè oriatur, sed solummodò impedimentum publicæ honestatis, can. Si quis uxorem, cum can. seq. xxvii, quæst. 2, de quo in §. in asianum 7, in eod.*

b Ad eò quòd in ulterioribus gradibus matrimonium liberè & licitè contrahatur, ex declaratione Pii V, in Extrav. in ep. Ad Romanum Pont. edita anno 1566, 4, Kal. Decemb. extat in Bullario Romæ impresso.

g Quòd ad eò obrinet, etiamsi conditio iurata adiecta sit, qua tamen recessum intelligitur per præsentem consensum matrimonialem, vel per copulam carnalem subsecutam inter sponsum & sponsam, cap. 3, Ext. De cond. appof. Observatis tamen iis, qua dicuntur infra de clandest. contrahentib. matrim.

## DE PROFESSIS ET SACRO ORDINE INSIGNITIS.

### TITULUS XIV.

Professos intelligimus, Monachos, Moniales, omnesque alios, qui votum castitatis solemne emiserunt in Religione aliqua à Sede Apostolica approbata: insignitos sacro Ordine, Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros, Episcopos, de quibus supra differuimus, *lib. 1, tit. 4, & 5*, Arque his omnibus auptias planè interdictas esse, convincunt sacri Canones, *can. Voventibus cum seqq. dist. 27, can. Si quis eorum can. De illo dist. 32, c. 1, cap. 2, Extravag. Qui clerici vel vovent. Conc. Trid. sess. 24, can. 9, de Sacram. matrim. licet in voto simplici alio jure utamur, c. 3, c. 6, Ext. d. tit. Qui clerici vel vovent. in quam rem juvat adferre rescriptum Bonifacii VIII, ad Episcopum Bitu-*

rentem, cujus hæc verba sunt: Præsentis declarandum durimus oraculo sanctionis; illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quòd solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Reliqua verò vota etsi quandoque matrimonium impediunt contrahendum, & quantum manifestius sunt emissâ, tantò propter plurimum scandalum & exemplum durior pœnitentia transgressoribus debeat: non tamen rescindere possunt matrimonia post-



contracta, text. est in cap. unico de voto & voti redempti in 6.

Notatio in Tit. 14.

Adde & in professos, & sacris Ordinibus insignitos, item in cognatos & affines in gradibus interdictis matris

monium scienter contrahentes, poenam excommunicationis ipso jure constitutam esse ex decreto Clementis V. in Concilio Viennensi, extat in cap. unico De consang. & affinit. in Clem. de quo apud Navarrum in Manuali cap. 27, nu. 141.

## DE FRIGIDIS, MALEFICIATIS ALIISQUE IMPOTENTIBVS,

## TITULUS XV.

§. 1. Frigidi & maleficiati, qui contrahere matrimonium non possunt.

**F**rigidi praesenti loco dicuntur, qui naturali frigidityte ita constentantur, quod mulieri commisceri non possint. Maleficiati, qui daemone aut improbi hominis fascinoe constrikti, praepediuntur idem officium exercere, quibus & idcirco matrimonio interdictum est, cap. 2, c. 3, c. 56. Ext. h. tit. can. Requisti, can. Si per fortianus xxxiii. q. 1, §. cunctam puer, inquit Alexander III, qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio; sic qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, cap. 8. Ext. hoc tit.

§. 2. De mulieribus obstructis. Item de Spadonibus & castratis.

Quare idem judicium est de mulieribus aded obstructis, ut cognosci non possint, cap. 3, c. Fraternitatis ext. eod. tit. item de Spadonibus, & castratis, per text. in d. cap. 2, & d. c. 5, in verbis, Quod nunquam per carnis copulam. Panorm. ad c. 2, num. 5, eod. tit.

§. 3. Frigiditas & maleficium triennio exploranda &c.

Ubi tamen contractum est matrimonium a frigido, & de frigidityte non constat, non ante matrimonium dirimitur, quam triennium cohabitationis praecesserit, juxta formam a Caelestino, & Gregorio Summis Pontificibus praescriptam, in c. Laudabilem 5, ext. hoc tit. & in d. can. Requisti xxxiii. q. 1. Hujus triennii meminit Iustin. in Novell. 24, de nuptiis §. per occasionem. Quae & in maleficiato disjungendo ferè observatur, ut inc. fin. ext. hoc tit. adde Henr. Boich, ibid. facit can. Si perfortia xxxiii. q. 1.

§. 4. Mulier obstructa quando separanda.

Sed & in muliere obstructa hoc jure utimur, ut matrimonio juncta tunc demum separatur,

ubi humana opera vel industria, sine gravi laesione corporis, curari nequit, c. 3, c. 6, ext. eod.

§. 5. Impeditis frigidityte vel obstructione cohabitatio permittitur.

Non tamen prohibentur frigidityte, vel obstructione impediti, ex utriusque consensu simul commorari, ut quam vir uxorem habere non potest, habeat saltem ut sororem, ex rescriptis Lucii & Caelestini SS. Pontificum, in c. 4, & c. 5, Ext. hoc tit.

Notatio in Tit. 15.

a Spadonis generalis appellatio est, continens eum, qui generare non potest: sive natura sua, sive ex accidenti: veluti cui pars genitalis abest, l. Spadonum: 18, D. De verb. signif. l. §. si serva 40, §. si spadoni D. De jure dotium. Proprie verò & speciali nomine spado à castrato separatur. Spado à natura vitium habet, l. 2, §. illud, & l. Arrogato 40, §. fin. D. De adoptione. Castratus ex accidenti, l. Sed est quaesitum 6, D. De liber. & posth. In spadone jus civile admittit matrimonium, non verò in castrato, d. §. si spadoni, & l. Sed est quaesitum, juncta l. 4, §. fin. & l. 6, D. Ad L. Corn. de sicar. At de jure Canonico uterque perperam matrimonium contrahit, ex ratione text. in cap. 2, Ext. De frig. & malef. eo scilicet casu, quo erigere non potest, & immittere in vas debitum mulieris: alias locus, etiamsi sine semine fiat: cum hoc casu remedium esse possit evitanda fornicationis, sicut latè docet Navar. conf. 2, de frig. & malef. Caterum Henricus Henriquez, tomo 1, Summae Theolog. moralis lib. 12, de imped. matrim. cap. 8, refert Sixtum Papam V. constitutione sua declarasse generaliter, quod spado seu enuchus utroque deficiente privatus, est & semper fuit omnino inhabilis, etiam sciente & consentiente femina. Verum haec tenore non licet eam constitutionem, ut inde certior sententiam potuissem elicere, & lectori proponere.

0000

b. 766



Ubiigitur de frigidityte viri manifestè constare non potest, forma hæc servatur, ut à tempore celebrati matrimonii conjuges per triennium cohabitent & rei conjugalis operam dent: quo elapso, si cum septima propinquorum manu vel vicinorum bona fama (si propinqui defuerint) jurent, tactis SS. Evangelii, se commisceri non potuisse quòd tunc à se invicem separari possint, & permitti mulieri ut ad alias nuptias transeat, cap. Laudabilem 5, Ext. De frig. & malef. et quidem ipse vir & mulier juramentum veritatis præstabunt quòd scilicet bonâ

fide dederint operam copula carnali: Alii vero juramentum credulitatis quòd credant utrumque verum iurasse, argum cap. Quoties 5, Ext. De purg. Canon. In maleficio idem triennium cohabitationis, eademque juramenti forma requiritur præter penitentiam, quam ex iudicii præcepto conjuges subire coguntur de peccatis, ut si forte Deus consummationem matrimonii annuat, juxta cap. fin. Ext. de frig. & malef. Vide ibid. Pænormit.

## DE INFIDELIBVS.

## TITULUS XVI.

Inter infidelis verum matrimonium contrahitur, non autem inter fidelem & infidelem.

**T**Ametsi inter infideles, hoc est, qui nondum Christianis sacris initiati sunt, verum & legitimum coactet matrimonium, etiam in secundo consanguinitatis gradu, cap. Gaudemus 8, cap. Quanto 7, Ext. de divort. a non tamen inter fidelem & infidelem, can. Carv. & can. Iudai xxviii, q. 1, Nam, auctore Cypriano, in *Serm. de lapsis*, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, est prostituere eum: gentilibus membra Christi, 2. ad Corin. 6, Et hæc spectat illud D. Pauli: Nolite jugum ducere cum infidelibus: quia enim participatio Christi ad Belial: aut qua pars fidei cum infidelibus sed si vult, nubat tantum in Domino, 1. ad Cor. 7, Belial. de matrim. lib. 1, c. 2, ex omnium fere Interp. sententia. Hinc ex constitutione Valentin. Theodosii & Arcadii Imperatorum Christianus, si ju-

dæam, vel Judæam, si Christianam in conjugem sibi adfuerit, publico iudicio, instar adulteri, obstringitur, l. Ne quis 5, C. de Iudæis.

Notatio in Tit. 16.

2. et ratio est, quia pagani non ligantur SS. Canonibus, cum omnino sint extra Ecclesiam, c. Gaudemus Ext. de divort. Ergo secundum ipsos in gealibus, etiam jure Canonico prohibuit, recte contrahunt matrimonium. Vt & hinc in Iudæis lex Moysaica servatur, non jure Canonico, Covarr. in 4, Decret. p. 2, cap. 6, 5, 1, v. 6, & 7. Neque dissolvitur eorum matrimonium, si postea ad fidem Christianam convertantur, d. cap. Gaudemus, adde & c. fin. Ext. Qui filii sunt legitimi, & §. altera 3, inf. de divortis.

## DE HOMICIDIS, ADULTERIS ET RAPTORIBVS.

## TITULUS XVII.

§. 1. Homicida qui à matrimonio remouentur;

**I**nterdum & homicidium matrimonii contractum impedit & dirimit; eâ specie, quâ quis alterius conjugis potiundi causâ alteri conjugi necem attulit: sitamen utriusque conspiratio, tam superstitis conjugis, quam ipsius homicidæ; in eandem necem simul concutrit, nam unius delictum hæc in re non sufficit, cap. Laudabilem Ext. de convers. infidel.

§. 2. Adulteri remouentur.

Idem est in adulterio; eo casu, quo quis alic-

nam uxorem adulteravit, datâ sponcione de contrahendo cum ea matrimonio, aut etiam matrimonio de facto contracto; nec enim potest eandem, defuncto marito suo, in uxorem ducere, s. fin. c. 3, c. 5, Ext. de eo, qui duxit in matrim. Dum tamen & hic utriusque & adulteri & adulteræ scientis interuenierit, quòd videl. sciverit uterque alterius conjugem adhuc superstitem esse. Ceterum si qua errore ducta cum alieno marito, tamquam cum cælibe contraxerit, non prohibetur, defun-



defunctâ uxore ipsius, in novum matrimonium cum eodem convenire, *cap. 1, c. Variens 7, eod. t.* Sicut & si adulterium tantum intercesserit, nullo contractu matrimonii, aut sponsalium admixto, *cap. Significasti 6, cap. Cum haberet 5, d. tit.*

§. 3. Interraptorem & raptam an consistat matrimonium?

Quæsitum est, An inter raptorem & raptam consistere possit matrimonium? Negat Justinianus *imp. in l. unica C. De raptu virg.* At diversum constituit Innocentius Pont. quem magis sequimur, *cap. fin. Ext. De raptu juncto cap. penult. & ult. Ext. De secun. nupt.* adhibito tamen temperamento Concilii Tridentini, cujus Decretum hic integrum subjicimus. Decernit, *inquit*, sancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si raptâ a raptoe sepa-

rata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare, *Conc. Trid. Sess. 24. can. 6. de reform. matrim.*

Notatio in tit. 17.

a Dummodo adulterium non interruerit, *cap. 3, & Ioan. And. per Panorm. & communem receptus ibid. Ext. De eo qui duxit in matr. teste Navarro in Manuali cap. 21, num. 46, & facit can. Si quis vivente, xxxi, q. 1, qui est Concilii Turburienfis.*

## DE CONIUGATIS.

## TITULUS XVII.

§. 1. Conjugati qui, & qua ratione prohibentur aliud matrimonium contrahere.

Conjugatos vocamus, virum & mulierem in unum quasi jugum matrimonii coactos; quorum ea conditio est, ut durante matrimonio alteri tertio conjungi non possint, *cap. Gaudemus 8, Ext. De divor.* Vt hinc matrimonium solo etiam utriusque contrahentium consensu initum, per posterius matrimonium, licet carnis copula consummatum, minime dirimatur, *cap. penult. Ext. De sponsal. c. 3, c. 5, Ext. de sponsa duor.*

Nec movet, quod Patriarchæ, & alii viri justi legantur plures uxores simul habuisse. Nam id plane extraordinarium fuit, utpote divinâ revelatione (ut interpretatur Innocentius III.) illis concessum, *de c. Gaudemus*; ac proinde trahi non debet in consequentiam, *l. Quod vero 14, D. de legib. c. Quod ob gratiam De R. l. lib. 6.*

§. 2. Matrimonium licet inutile, nihilominus impedi-  
mento est secundo matrimonio contrahendo.

Idque adeo obtinet, etiam si prius matrimonium plane nullius usus sit, propter morbum vel excisionem, *can. Hi qui qui xxxi, q. 7, vel sterilitatem, can. Tantum d. q. 7, vel propter diuturnam*

absentiam alterius conjugum, *cap. 2, Ext. De secund. nupt. Conc. Trid. Sess. 24. can. 5.*

§. 3. Absentiam alterius conjugum legitimam causam non esse matrimonium contrahendi nisi de morte absentis certo constet.

Quod spectat rescriptum Clementis III, ad Episcopum Casaraugustanam, de mulieribus, qui viros suos absentes ultra septennium cum diligenti disquisitione prætolata, continere se non poterant: Quod quantumcumque, *inquit*, annorum numero ita remaneant viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare: nec auctoritate Ecclesiæ, addit, permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum, *text. est in cap. in præsentia 19, Ext. De sponsal.* Quod non minus in viris, uxeribus suis absentibus, observandum esse, docet Lucii III, constitutio, *in d. cap. 2, Ext. De secund. nupt.*

§. 4. De eo qui non expectato certo nuntio de morte absentis conjugis, aliud matrimonium contraxit.

Si qua tamen mulier, non recepto certo

○○○○ 2

DUB.



nuntio de morte absentis mariti, matrimonium forte contraxerit; non idē tamen matrimonium rescindendum erit, sed eatenus sustinebitur matrimonium, ut ipsa posteriori marito quidem postulanti debitum reddere teneatur; ē diverso verō exigere ipsa non possit, *d. c. 2, §. si verō de secun. nupt.* Quæ similiter absente uxore a marito observanda sunt, *d. cap. 2, Vide omnino Navar. in Manuali cap. 22, n. 53.* Quod enim ad fidem & debitum conjugale attinet, maritus & uxor pari passu ambulant, *can. Præcipit. o, can. Apud nos & can. fin. xxxii. g. 5, & d. c. 2.* Vi enim secundus maritus innocens, contra legem conjugii, jure suo

privandus non est, ita mulieri minimè permitendum est, ut contra sensum conscientie suæ, debitum ab eo postulet.

*§. 5, Conjuge redempto, vel aliter supersite, prius matrimonium restituitur.*

Illud nihilominus perpetuò retinendo; ut quocumque casu & tempore conjux absens redierit, aut supersitem eum esse constiterit, posterius matrimonium illic è dissolvendum, & prius redintegrandum sit, *d. cap. 2, in fine De secun. nupt.*

DE CLAM CONTRAHENTIBVS MATRIMONIUM SIVE DE  
CLANDESTINA DESPONSATIONE.

TITULUS XIX.

§. 1. De clam contrahentibus matrimonium.

**H**is enumeratis, accedant postremò ex decreto Concilii Tridentini, qui clam matrimonium contrahunt. Nam & horum matrimonium irritum est, *Conc. Trident. sess. 24, cap. 3, de res. m. matrim.* Quamvis enim jure antiquorum Canonum matrimonium clandestinum, libero contrahentium consensu inicum, verum erat matrimonium, *c. 2, Ext. de clandest. despons. & favetur idem Concil. Trident. c. 1, in princ.* (si quidem & consensus privatim interpositus, consensus est, *l. Ab Anastasio & ibi Bald. Cod. Mandati, l. Non minorem Cod. De transact.* qui sufficit in contrahendo matrimonio, *can. Sufficiat xxvii, quasi 2, c. Cum locum 4, cap. Tua Ext. de sponsal.*) attamen cum dictum Concilium animadverteret, non levia incommoda oriri ex hujusmodi matrimonio; præsertim in illis, qui in statu damnationis permanentes, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relictâ eum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt; idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocent. III, celebrati, *c. ult. Ext. De clandest. despons.* vestigiis in hærendo, præcipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnias, publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ec-

clesiæ procedatur; ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, *Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provincia ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tor præcellerint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur; deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiants ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur: quod illius prudentiæ & judicio sancta Synodus relinquit. Quia iter, quàm præsentè Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarîi licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabant, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit; prout eos præsentî decreto irritos facit & annullat. Ita Concil. Trident. *d. cap. 1, de reform. matrim.*

*§. 2, Quos hoc decretum liget.*

Vbi tamen animadvertendum est, decretum hoc ad ea tantum matrimonia pertinere, quæ post



post publicationem ejus in Parochia factam contracta sunt, adeoque post triginta dies à die primæ publicationis numerandos. Quare ubi hoc decretum nondum publicatum est, ibidem neminem obstringit, sed valet matrimonium, siue clam, siue publicè contractum id colligitur ex *finis d. cap. 1. Concil. Trident. conjunge §. fin. sup. de affinit. & cap. 3. Ext. de clandest. de spons. ubi & quid juris de liberis ex clandestino vel interdicto matrimonio natis.*

## § 3. Continuatio ad sequentia.

Et hæc hætenus de impedimentis, quæ vulgò appellantur impediencia & dirimentia matrimonium. Nunc subsequenter videamus de impedimentis non dirimentibus matrimonium, hoc est, quæ matrimonium quidem contrahendum impediunt, sed contractum non dissolvunt; ita permittentibus sacris Canonibus. b

## Notatio in tit. 19:

a *Quæ hic ex Conc. Tridentino recensentur, partim pertinent ad solemnitates matrimonii contrahendi, partim ad matrimonii quamdam essentiam. Nam denuntiationes & celebratio matrimonii in facie Ecclesie, ad solemnitates referuntur; præsentia verò Parochi vel alterius Sacerdotis, & adhibitis testium, juxta vers. Qui aliter quàm præsentem, ad matrimonii quodammodo essentiam; ita ut, si hæc desint vel aliquid ex iis, matrimonii contractus nullus momenti sit, ubi videl. hoc Decretum Concilii Tridentini promulgatum est, prout habet text. noster in §. sed quod ad solemnitates attinet, non necessa-*

riò illa observantur, ubi aliter consuetudine loci receptum est, præcipue quod ad denuntiationes attinet. Aut enim hæc nondum in usum traductæ sunt, quo casu matrimonium iis omissis licetè contrahitur; cum lex Superioris non obliget, nisi à subditis recepta, can. Ext. autem lex, cum 2, l. eq. dist. 4. Aut antea quidam usu frequentabantur, sed postea in disuetudinem abiierunt, ob rationem aliquam probabilem. & hæc quoque specie impune negliguntur, cap. fin. & quæ ibi tradunt DD. sup. De consuet. Facit, De quibus in hæc D. De legib. Porro quoad præsentiam Parochi, siue alterius Sacerdotis & testium, hæc solam obtinet in matrimonio contrahendo, non in sponsalibus de futuro; quæ & hodie clam contracta valent, cum in his Con. il. Trident. nihil immutaverit. Et quidem sufficit in matrimonio contrahendo præsentia Parochi, siue is habitationis ipsius mulieris sit, quando videlicet ibi contrahitur matrimonium, siue sit Parochus habitationis viri, cum apud hunc matrimonium celebratur: ex declaratione congregationis Cardinalium deputatorum ad dubia declaranda Concilii Tridentini teste Navar. cons. 3, num. 1, de clandest. de spons. & in Manuali cap. 25, num. 144. Quò fit, ut per hoc decretum Concilii Tridentini, abrogata sint omnia matrimonia præsumpta; velut, inter sponsum & sponsam propter carnalem copulam subsequutam, cap. 15 qui 30, Ext. De sponsal. & similia, de quibus in §. sed & sponsalia sup. De sponsal. & §. à justo 7, sup. Quæ in contrah. matrimoni-

b Igitur hoc matrimonium absque peccato non contrahitur, quia contra Canones, sed ab Ecclesia susinetur ob justas causas.

## DE IMPEDIMENTIS NON DIRIMENTIBVS MATRIMONIUM.

## TITULUS XX.

**I**mpedimenta Matrimonium contractum non dirimentia hæc sunt: Votum castitatis simplex, cap. unico De voto in 6, cap. 3, §. 1, & cap. 6, Ext. Quiclerici vel vocentes &c. hæc estis, cap. Decretum 4, de hæret. in 6, can. Non oportet xxviii, qu. 1, adde latius Covar. in 4, p. 2, cap. 6, §. 11, Navar. in Manuali cap. 22, nu. 49, Catechismi instructio in baptizando, cap. 2, de cognat. spirit. in 6, sponsalia cum alio ante contracta, cap. Sicut 22, c. De illis Ext. De sponsalib. prohibitio iudicis Ecclesiastici, ne matrimonium contrahatur, donec de impedimento, quod obicitur, cognitum fuerit, ut tit. Ext. De matrim. contracto contra interd. eccl. Item

fuit hæc crimina: incestus, cap. 1, & ibi Glos. in fine, c. Transmissa 4, Ext. de eo qui consang. uxor exdes Presbyteri, cap. 2, Ext. De pœnit. & remiss. vel uxoris suæ, can. Admonere xxxiii, qu. 2, cap. 5, ead. qu. 2, raptus sponsæ alterius, can. Statutum xxvii, qu. 2, juncto cap. fin. Ext. De raptorib. & §. fin. sup. De homicidis, matrimonium cum Moniali de facto & scienter contractum, can. Hiergo xxvii, qu. 2, publica & sollemnis pœnitentia, can. De his, can. In adolescentia xxxii, qu. 2, susceptio filii à parente, eo animo facta, ut, contracta spiritus à cognatione, alteri parenti debitum conjugale subtrahatur,

O o o o 3

can,



can. De eodem xxx, q. 1, & ibi latius Denique quodvis peccatum mortale, quo contrahens, contractus tempore detinetur. Quippe matrimonium Sacramentum est, & idcirco sanctè tractandum,

Concil. Trid. sess. 24, cap. fin. in fine de reform. matrim. De his omnibus plenius apud Navar. in Manuali cap. 22, nu. 74, cum seq. Covarr. d. c. 6, D, Thom. in supplem. qu. 50, cum seqq.

## DE DIVORTIIS.

## TITULUS XXI.

## §. I. Divortium quid, &amp; ex quibus causis permittatur.

**D**ivortium est distractio matrimonii, quæ utroque conjugate vivente fit, l. 2, D. de divort. id quæ ex duabus tantummodò causis intelligi hoc jure nostro Canonico, quo in hac re utimur. Cùm alioqui matrimonii semel legitimè contracti perpetuus & indissolubilis nexus sit, can. Puto, can. Si uxorem, can. Præcepti, c. Præceptum xxxii, qu. 5, can. penult. xxxiii, quæst. 2, cap. Gaudemus 8, c. xxi. De divort. Concil. Trid. sess. 24, in doct. de Sacram. matrim.

§. 2. Per ingressum Religionis matrimonium nondum consummatum solvi: scilicet per susceptionem sacri Ordinis.

Prior causa est: Si alter conjugum nondum consummato matrimonio Religionem ingrediarur, quod ipsi licet per sacros Canones, etiam invito altero conjugate, cap. 1, cap. ex publico 7, Ext. De convers. conjug. Concil. Trid. sess. 24, can. 6, licet divortium sit in susceptione sacri Ordinis, ex declaratione Joannis XXII, unic. De voto in Extravag. Joan. XXII.

Matrimonium dissolvi ab infideli converso potest.

Alterca causa est: Si alter infidelium conjugum (inter quos etiam justum matrimonium constat, sed ut contractus civilis, non ut Sacramentum, d. cap. Gaudemus & ibi Dd.) ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad secunda vota transire potest, c. Quanto 7, d. c. Gaudemus De divort. can. Si infidelib. c. iij. q. xxvii, quæst. 1, can. 2, penult. quæst. 2 a

Matrimonium propter consanguinitatem, affinitatem, vel simile impedimentum non dissolvi potest.

Cæterum quod vulgò dici solet, Matrimonium dissolvi vel dirimi, propter consanguinitatem,

affinitatem, frigiditatem, aut ob similem causam, non tam jus matrimonii respicit, quam factum; cùm matrimonium, in quo subest hujusmodi impedimentum, ipso jure nullum sit. Etenim matrimonium semel legitimè contractum, non nisi ex duabus causis jam dissolvitur, juris jam allegatis.

## De separatione tori.

Nonnumquam tori separatio inducitur inter conjuges, durante vinculo matrimonii; quæ & species quædam divortii est, can. 1, xxxii, quæst. 7, utpote, si alter eorum adulterium sive fornicationem admisierit, can. Puto, juncto can. Præcepti c. cap. Præceptum qu. 5, can. Significasti 4, cum cap. seq. Ext. hoc tit. adde quæ de adulterio diximus inf. de adulter. vel si ad hæresim sive gentilismum defecerit, cap. 1, 6, cum cap. seq. Ext. eod. vel si fevencior sit in conjugem suam, cap. Literas in fine Ext. de resit. vel si ad peccatum eam compellat, juxta illud Matthei cap. 18, Si oculus &c. & ibi Hieron. Bellarm. lib. 1, de Sacram. matrim. cap. 14, Navar. d. cap. 22, nu. 21, Ob furtum vero, vel ob aliud crimen, sive ob morbum, conjuges a se in vicem minimè separantur, d. cap. 1, Ext. hoc tit. can. Horrendus, can. Si uxorem xxxi 1, q. 5, vide de his latius Covar. in 4. p. 2, cap. 7, §. 1, ubi & de Sodoma vicio, & furore. Navar. in Manuali c. 22, nu. 21, cum seq.

## Notatio in Tit. 21.

2 Adde & Pontifici auctoritate matrimonium posse dissolvi, nondum carnis copulâ consummatum, etiam quondam vinculum, juxta Glof. ad cap. Ex publico, Ext. De convers. conjug. quam singularitatem & à Canonistis & à Theologis Canonum peritis receptam, attestatur Navar. in Manuali cap. 12, num. 21, ubi vide cum latius



DE ECCLESIIS AEDIFICANDIS, CONSECRANDIS, REPVRGANDIS  
ET REFIICIENDIS.

## TITULUS XXII.

## Continuatio hujus Tituli.

**Q**uia Sacramenta ut plurimum in Ecclesiis administrantur, idcirco quae ad Ecclesias pertinent, hic breviter subjiciantur.

§ 1. Ecclesia nomine quid hic intelligatur.

Ecclesiae nomine hic intelligimus aedificium divino cultui exercendo deputatum; praecipue vero sacrificio Missae, toto tit. Ext. De ecclesiis aedificand. De aliis acceptionibus ecclesiae vide Gloss. ad c. fin. in veris praesentiam eccles. No Praesent. vices suas.

§ 2. Extra Ecclesiam Missa sacrificium non peragendum.

“Sicut enim, inquit Felix in prima epistola ad omnes Orthodoxos, non alii quam sacra Domino Sacerdotes debent Missas cantare, nec sacrificia super altare offerre; sic nec in aliis quam Domino sacra locis, id est, in tabernaculis divinis praecipue a Pontificibus delibutis, Missas cantare, aut sacrificia offerre licet: nisi summa coegerit necessitas, text. est in can. Si cur. 1. de consecrat. dist. 1. De necessitate est text. in can. concedimus 30. de consecrat. dist. 1. de quo latius Navar. in Annuali cap. 35. num. 81.

§ 3. De Oratorio.

Aded, etiam si cuilibet permissum sit domus suae habere Oratorium, orationis causa, can. unicuique 33. de consecrat. dist. 1. non tamen ad exercendum Missae officium; nisi Oratorium ad divinum tantummodò cultum dedicatum, & ab Ordinario designatum sit; quod & ab eodem visitetur, Conc. Trident. sess. 2. cap. 1. §. 5. neminem, in decreto de observand. & oritur in celeb. Missa.

§ 4. Quibus solemnitatibus Ecclesia exstruenda.

Nulla verò Ecclesia à quoquam exstrui potest, nisi auctoritate Episcopi, can. Nemo Ecclesiam de consecrat. dist. 1. §. 6. Olim 1. 4. §. insuper & ibi Gloss. Ext. De privilegiis qui eo in loco, ubi exstruenda est, Cruce designet, atrium publicè designabit, constituturà dote ab eo, qui exstruit, pro luminaribus & ministris Ecclesiae, d. can. Nemo, can. Piaments, xvi. quest. 7. Quod si forte, dote omisâ,

Ecclesia exstructa fuerit, nihilominus extructor dotis nomine rectè convenitur, can. Cum sicut 8. Extra v. De consecrat. eccles. arg. l. Legatis 6. D. De aliment. & cibariis leg. aut in subsidium ad Episcopum consecratorem recurratur, arg. cap. 2. & c. 10. Ext. De praebend. Panorm. ad d. Cum sicut nu. 3.

§ 5. De novi operis nuntiatione.

In extruendo animadverti debet, ne vicinis aedibus noceatur, puta, luminibus earum officiendo, aut non legitimum spatium relinquendo. Licet enim religionis favor summus sit, l. Sunt persone 43. in fin. D. De relig. & sumpt. funer. is tamen ad iustitiae normam revocandus est, c. 1. §. sed divers. de alien. feud. in v. sibus feud. Vnde operis novi nuntiatione facta ex vicinis aedibus sive jure, sive injuriâ, id quod extructum est, diruendum est, c. 1. & 2. Ext. De oper. novi nuntiat.

§ 6. Ecclesiam & altaria consecranda esse, & consecratio Ecclesia an repeti possit.

Ecclesia aedificata consecranda est per Episcopum, can. Ecclesiam xvi. qu. 7. can. Ecclesias de consecrat. dist. 1. similiter & altaria, c. 5. Ext. De consecrat. Eccles. can. Altaria de consecrat. dist. 1. Quae consecratio instar Baptismi non repetitur, can. Ecclesiam semel 10. d. dist. 1. etiam eo casu, quo Ecclesia illa his parietibus corrumpitur, cap. Lignis 6. Ext. De consecrat. eccles. Porro exusta aut diruta Ecclesia, deinde in eandem vel similem formam restituta, reconsecrari debet, d. can. Ecclesiam semel.

§ 7. Altaris consecratio quando repetenda.

Quòd si altare motum, aut lapis illi impositus, qui sigillum continet, contractus aut diminutus fuerit, ex constitutione Alexandri III. reconsecrari jubetur, non verò ipsa Ecclesia, in c. 1. ext. De consecrat. eccles.

§ 8. De reconciliatione Ecclesiae.

In Ecclesia polluta per effusionem sanguinis, aut seminis humani, aut per sepulturam excommunicati,



municati, eo jure utimur, ut prius reconciliari ab Episcopo debeat per asperionem aquæ cum vino & cinere benedicto, quam divina officia in ea resumi possint, ut videresi in cap. 4, 7, 9, &c. fin. ext. de cons. Eccles. c. 5, De adult. c. 1, De consecr. in 6, can. Si motum, cum can. seq. de consecr. dist. 1, Pontificiale Rom fol 152. a

§. 9, Per ecclesia pollutionem & cœmeterium polluitur, non è contrà.

Planè pollutâ Ecclesiâ similiter & cœmeterium illi conjunctum pollutum intelligitur, non è contrâ, ne minus dignum majus, aut id quod accessorium est, trahat ad se principale, c. unico de cons. in 6, juncto c. Accessorium De R. 1, in 6.

§. 10, De Ecclesia refectione & dedicatione.

Refectio verò Ecclesiæ ab eo præstanda est, qui obtrinet beneficium ejusdem Ecclesiæ, cap. 1, Ext. De Ecclesi. adif. adhibita tamen moderatione Conc. Tridentini: ad quam leâorem brevitatis causâ remittimus, Sess. 21, in decreto de reform. Dedicatione verò Ecclesiæ singulis annis recolenda est; exemplo Christi Salvatoris, can. Solammitas, de consecr. dist.

Notatio in Tit. 22.

a Hoc receptum est in terrorem delinquentium; unde propter occultam pollutionem ecclesia reconciliatione non indiget. Panormit ad c. 4, num. 1, Ext. De consecr. Eccles. Vidè latius Mart. Navarr. in Manuali cap. 27, n. 256, cum seqq.

DE RELIGIOSIS DOMIBVS.

TITULUS XXIII.

§. 1. Quæ dicantur Domus religiosa.

Religiosas domos appellamus Monasteria & Hospitalia, quæ pietati exercendæ ex professo dedicata sunt, & plerumque Ecclesiis cohærent, toto tit. Ext. & in 6, De relig. domib.

Monasteria & Ecclesia cui subiecta sint.

Monasteria illi Episcopo subiecta sunt in cuius diocesi sunt sita; sicut & omnes Ecclesiæ ejusdem diocesis, can. Quidam eumc, seq. can. Monasteria xv. 11, q. 2, can. Qui verò xvi, q. 1, nisi monasteria vel Ecclesiæ exempta sint privilegio aut præscriptione legitima 46, annorum, can. Omnes basilica xxv, q. 7, Cum persona 7, De privileg. lib. 6, cap. Cum venerabilis 7, cum cap. seq. Ext. De relig. dom. cap. Auditis 15, cap. Cum olim 18, cum c. seq. Ext. De præscripti.

§. 3, Exemptio quousque se extendat.

Ut tamen privilegium exemptionis à jurisdictione Episcopi ad loca exempti restringatur, & non ultra producat, cap. Porro 7, cap. 3, in fine, & cap. Petistis 20, Ext. De priv. siquidem privilegium juri communi derogans strictè accipendum est, cap. 1, in fine De filius presbyt. in 6, c. Quæ à jure De regalis juris in 6, Quo sit, ut si exempti in loco non exempto contrahant aut delinquant, vel res, de qua agitur, extra locum exemptum sita sit, ibidem exempti rectè conveniantur, neque revocandi domum jus habeant, per text. in 6,

1, de priv. lib. 6, juncta ibi glos. Idem judicium est de Parochiis & capellis exempto Monasterio subiectis vel unitis, c. Ex ore 17, ext. De priv. c. 2, De relig. dom. c. Per emptionem 9, De priv. in 6, Nisi & in his legitime præscriptum sit Episcopalius iuris, aut privilegio derogatum, d, c. Auditis & cap. Cum olim Quibus consequens est, ut Monachi, qui ab exempto monasterio ad Prioratus Ordinario subiectos transmittuntur, ibidem Ordinarii jurisdictioni subiant, cap. 1, §, fin. De priv. in 6, adde omnino Conc. Trid. sess. 7, cap. 14, c. reform.

De Hospitalibus.

Hospitalia ab hospitiis piè excipiendis & tractandis dicuntur; quæ pro hospitiis varietate varia quoque nomina sortiuntur. Alia enim sunt Xenodochia, quibus peregrini; alia Gerontocomia, quibus senes; alia Brephorrophia, quibus egentium infantes; alia Nosocomia, quibus ægroti excipiuntur; alia denique Prochorophia, in quibus pauperes aluntur, can. In qualibet xlii, q. 8, l. Illud 17, l. Sancimus 1, c. De sacros. Eccles. Et hæc similiter Episcopo loci subiecta sunt, cap. 3, c. 4, Ext. De relig. domib. dummodò ejus auctoritate sint extructa, d, c. 4, neque exempta doctrina ministrante latè Concilium Viennense, d. Clement. & Tridentinum, sess. 7, cap. 15, & sess. 22, c. 8, & sess. 25, cap. 1, de reform.

DB



## DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

## TITULUS XXIV.

## §. 1. Ecclesiastica immunitas cur introducta.

**N**e autem Ecclesiasticus cultus ulla ratione vel impediatur vel dehonestetur, sancitum est à sacris Canonibus, suffragantibus etiam juris Civilis Constitutionibus, ut Ecclesiæ, earumque personæ & res, ab oneribus & officiis civilibus immunitatem habeant, *2020 tit. Ext. & in 6. De immunit. Eccles. & passim 17. quasi. 4. & sub t. C. de his qui ad Eccles.*

## §. 2. Immunitas Ecclesiastica triplex.

Præinde triplicem Ecclesiasticam immunitatem constituimus: unam localem, alteram personalem, tertiam realem, *ut & Lancelottus in suis Institutionibus hoc tit. a*

## §. 3. Immunitas localis qua, &amp; in quibus consistat.

Localis immunitas est, quæ Ecclesiis ipsis, earumque cœmeteriis tributa est, & in hisporissimum versatur, ne in ipsis negotiationes, præsertim nundinarum ac fori eujuseumque tumultus exerceantur, ne iudiciorum secularium strepitus, aut ullius causæ, præcipue criminalis, cognitio per laicos suscipiatur aut agitetur, *cap. 2. §. cessent in Ecclesiis hoc tit. lib. 6. cap. 1. & 5. Ext. eod. neve in Ecclesiis universitatum & societatum concilia, conciones fiant, neve fœda & prophana, atque aded vana colloquia misceantur, d. cap. 2. §. cessent in locis. adde Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. in decreto de obser. & evit. in celeb. Miss. Est enim Ecclesia domus orationis, vel ipso Christo teste, apud Matth. 2. cap. b*

## §. 4. Reus ab Ecclesia non abripiendus.

Quin & reus cujuscumque criminis ad Ecclesiam confugiens, inde abripi non potest; si tamen liber homo sit: si servus, non antè ab Ecclesia extrahitur, quam dominus suus ipsi impunitatem juraverit, *c. Inter 6. e. 9. Ext. hoc tit. nostro. can. Sicut antiquitus, can. Reum ad Ecclesiam, can. Deservit cum e. seq. XVII. quasi. 4. l. 2. & l. 5. C. De his qui ad Eccles. §.*

## §. 5. Immunitas pro reo latè patens.

Neque interest, Ecclesia consecrata, sit, *c. penult. Ext. hoc tit. & ibid. Panorm. Imò & ad atria, ad septa, can. Si quis contumax, can. Id constituimus xv. quasi. 4. & can. Frater, can. Mementes ead. quasi. 4. ad quadraginta passus in circuitu, si baptismalis Ecclesia sit, si in Ecclesia minor, ad triginta passus, hæc immunitas porrigitur, d. can. Sicut antiquitus, can. Quisquis d. quasi. 4. aded ut & domus Ecclesiæ intra triginta passus constituta eadem immunitate gauderet, d. can. Quisquis, probant Hostiens. & alii apud Remig. Goonium in tract. de immunitat. Eccles. in V. domus. Intellige autem domos Clericorum, juxta Glos. ad d. can. Quisquis. Quin & ad Episcopi domum quocumque loco sitam, d. can. Id constituimus, & communiter receptum testatur Goonius d. loco, in V. Palatium, 17. ampliat item ad monasteria, d. can. Quisquis, facit & l. 4. in V. venerabilibus C. De his qui ad Eccles. confug. ad Hospitalia Episcopi auctoritate erecta, l. 73. C. De Episc. & oler. ibid. Barr. & Panorm. ad c. penult. num. 6. Ext. De relig. domib. hæc immunitas traducitur, ut jam d. locis.*

## §. 6. Exceptio.

Soli hæc immunitate excluduntur publici theatrones, nocturni agrorum populatores, *cap. Inter 5. Ext. hoc tit. can. Sicut antiquitus d. quasi. 4. facit tit. C. Quando sic. unicuique, & qui spe immunitatis in ipso loco deliquerunt, cap. fin. Ext. hoc tit. adde Goonium de immunit. Eccles. fall. 3. Addunt alii quartum genus, & non improbabiler, eorum scilicet, qui ex industria & ex insidiis proximum suum occiderunt, per text. in cap. 1. Ext. De homicidio.*

## §. 7. De immunitate personali &amp; reali.

Quoad immunitatem personalem & realem, utramque hæc una regula complecti licet: Personæ Ecclesiasticæ ab omnibus muneribus, id est, oneribus civilibus soluta sunt, siue illa personalia sint, siue patrimonialia, id est, realia, siue mixta, *en. can. 1. can. 3. dist. 88. can. Cyprianus XXI. quasi. 3. cap. b*



cap. 4. Ext. No clericis vel monachi, c. Non minus 4. cap. Adversus 7. Ext. hoc nostro tit. c. 1. & 3. eod. in 6. junctâ Clement. 1. eod. tit. l. 1. & 2. cum Auth. seq. C. De Episc. & Cleric. can. Ecclesiarum xiii. quast. 2. Personalia munera sunt, quæ animi & corporis intentione exercentur. Patrimonialia sive realia, quæ sumptibus administrantis. Mixta, quæ simul & corporis ministerio, & expensis gerentis expediuntur. l. Numerum 18. D. De munerib.

§. 8. De angariis & aliis prestationibus.

Ut hinc pugnent cum sacris Canonibus & Imperatorum Constitutionibus, angaria, parangaria, prestationes annonæ & operarum, exactioes, contributiones aliæque civilia onera Ecclesiis, earumque ministris & rebus imposita, iam dictis iuribus non obstantibus etiam quavis consuetudine contraria, Auth. Cassa C. De sacros. Eccles. Auth. Item nulla C. De Episc. & Cler. cap. 1. De iurejur. lib. 6. & cap. 4. De censib. in 6. Adde Concil. Trid. sess. 25. cap. 20. de reformat.

§. 9. A quibus oneribus non eximantur Clerici.

Obtinuit tamen, ut Clerici ad civitatis vigiliis tempore necessitatis compelli possint, c. 2. Ext. hoc tit. Neque à legitima tutela, cura pupillorum, orphanorum, & viduarum prohiberi debent, can. fin. dist. 86. Auth. Presbyteros, Diaconos C. De Episc. & Cler.

§. 10. Immunitate non gaudent prædia Ecclesiastica ante affecta.

Sed neque Ecclesiastica prædia pensione aliore onere aneque affecta, quam ad Ecclesiam pervenirent, hujus immunitate gaudent, c. Cum abbatibus 6. Ext. D. donat. cap. Præterea 23. Ext. De iure patron. cap. 1. Ext. Decensib. can. Tributum xxi. i. quast. 8. can. Si tributum xi. quast. 1. Quippe res cum suo onere transit, cap. Ex literis circa fin. Ext. De pignori cap. Pastoralis Ext. De decimis, l. Alienatio D. De contrah. empt. Alias cum bona Ecclesiarum usui Clericorum & pauperum deputata sint, impium est, ea in prophanum usum converti, can. Qui Christi, can. Nulli, cum aliquot seq. xi. quast. 2. cap. Semel dedicatum De R. 1. lib. 6. nisi aliud ferret auctoritas summi Pontificis, juxta formam Concilii Lateranensis, quam vide in cap. Non minus 4. & in cap. Adversus 7. Ext. De immun. Eccles.

tur ipsis locis, l. 4. §. quamquam D. De censibus; quandoque personis, l. 4. D. De iure immunitatis; internum vero rebus, l. Summ. muner. 11. D. De vacat. & excul. muner. nisi quæ hæc immunitas Ecclesiasticæ largiisse diffundat, ut videtur est hoc textus nostro.

Vbi tamen observandum est, quod licet Ecclesie & cæmeteriis tam contractus prophanis, quam iudicia secularia interdiciantur; tamen contractus, si ibidem inchoati sint, sustinentur: secus est in iudiciis secularibus, quæ nullus momenti sunt, c. 2. §. cessent cum §. seq. De iniquitat. Eccles. lib. 6. si tamen contentio sine jurisdictione, hoc est, in quibus contentio sine consuetu partium proceditur, d. §. cessent; non sunt voluntaria jurisdictionis ut rest. considerat Panorm. ad c. cum Ecclesia, ad 6. & 8. Ext. eod. tit. Unde & citatio in Ecclesia decerni, in d. & citari in ea quis potest, ut tradit Maranta in Praxi aurea, p. 6. de citatione num. 129. Adit tamen Panorm. quod etsi ea quæ voluntaria sunt jurisdictionis in Ecclesia valeant, non tamen de b. r. ibidem exerceantur.

Sunt qui improbant, sed imperite, hæc immunitatem ex loco Joan. 2. cap. ubi cum Christus egerit videntes in templo, multo magis eiciendos putant homicidas, aliosque criminosos: verum id factum fuit, quod venditores mercatores carius vendendo & perjuris conventibus, in ipsum templum peccarent, ut exponit text. in can. quid est aliud dist. 88. ac proinde indigni erant beneficio Ecclesie, qui in ipsam Ecclesiam deliquissent, cap. fin. Ext. hoc tit. & l. Auxilium in fine de minoribus. Nec movet Iustinianus, Nov. 17. de mandatis Principum §. neque autem homicidis. Nam præterquam quod exaudiri possit de iis, qui silencia temporum delinquenti fuerit colligitur ex versione eiusdem Novel. 17. auctore Daarenovate in §. Cæterum in verb. fiduciam collocent, quod non alienum videtur à sententia cap. fin. Ext. De immuni. Ecclesie si ament simpliciter intelligamus eundem §. supra se fert vulgari editio; recte dicimus nihil obesse Ecclesiasticæ immunitati: cum Iustinianus constitutione suâ non potuerit præiudicare Ecclesie; quam curam non ad Imperatores, sed ad Pontifices & Prælatos Ecclesiasticos spectat Covarr. Var. resol. lib. 2. cap. 20. num. 3. Prosper Farinacius in praxi crim. lib. 1. qu. 28. num. 8. & 22.

Adit in textu, non improbabilius, quia hæc contentio caret, ut videre est apud Covarr. d. cap. 20. num. 7. Ant. Gomez Variar. resol. 3. cap. 10. num. 2. & Navarr. in Manuali cap. 35. num. 19. cum seqq. & qua tradit Panorm. ad d. cap. 1. Ext. De homicidio.

NOTATIO in Tit. 24.

¶ Sic & de iure Civili, immunitas quandoque dabitur

DE CENS



## DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, ET PROCURATIONIBUS.

## TITULUS XXV.

## Continuatio.

**Q**uæ superiori Titulo dicta sunt, pertinent ad onera civilia sive secularia; non Ecclesiastica, hoc est, quæ à jure Ecclesiastico sive Canonico iustis ex causis, introducta sunt in personas & res Ecclesiasticas: veluti sunt, census, procurationes, exactiones certis casibus, *Hosienf. in Summa huius tit. et.*

## §. 1. Censui quid.

Censum autem hic vocamus pensionem, quæ ex proventibus Ecclesiæ solvitur Episcopo, *cap. Constitutus 6. Ext. de relig. domibus. interdum vero S. Pontifici, cap. Recipimus 8. Ext. de privileg. interdum aliis Clericis, cap. Quærelam 24. Ext. De elect. cap. Cum Canonici 16. Ext. hoc tit. quandoque & Patrono Ecclesiæ, ut infra eod. in §. sed neque.*

## §. 2. De censu Episcopo debito.

Et enim Episcopo ab Ecclesiis suæ diocesis debentur duo solidi nomine Synodatici sive Cathedralitici, *cap. Conquerente 16. Ext. De off. iud. ord. san. Placuit 1. quæst. 3. cap. Pastoralis 7. Ext. de donationib. item census ab initio sive antiquitus Ecclesiæ impositus, c. Prætoris 23. Ext. De iure patronatus, &c. 3. Ext. hoc tit. can. Eleutherius xviii. quæst. 2. Nam ad novum, sive ad augendum veterem censum, Ecclesia cogi non potest, ex constitutione Concilii Lateranensis, cuius hæc verba sunt: Prohibemus insuper, ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis Prælatiis novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem reddituum suis usibus appropriare præsumant, sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant, minoribus suis bona voluntate conferent. Si quis vero aliter fecerit, irritum quod elegerit, habeatur, *text. est in cap. Prohibemus 7. Ext. hoc tit. Usque ad eod. etiam si fidei iurata vel juratoria cautio de novo censu solvendo, aut de veteri augendo intercesserit, non enim ideo magis debetur census, sed iuramentum omnino remittendum est, c. Gravis 15. c. Significavit 13. Ext. hoc tit. De censibus.**

## §. 3. Novi census impositio quando permissa.

Permissum est tamen Episcopo, ut si quando Ecclesiam suæ diocesis exemptione donat (assentiente scilicet Capitulo suo, *c. Pastoralis 7. in fine. Ext. De donat.*) census in eadem sibi reservare possit, *cap. Constitutus 6. Ext. De relig. domib. cap. Cum venerabilis 21. Ext. hoc tit. si quidem & ipse S. Pontifex, cum Ecclesiam à jurisdictione Episcopi eximit, vel in tutelam suam recipit, solet & oblatum eo nomine censum recipere, d. cap. Constitutus vers. nos quoque cum liberalitate, d. cap. Recipimus. Ext. De privileg. cap. Si Papa eod. tit. in 6.*

## §. 4. De pensione patrono constituenda.

Sed neque impeditur Episcopus patrono Ecclesiæ fundationis tempore, moderatos redditus, pensionis nomine, constituere, *cap. Prætoris 23. & ibi Glos. & Panorm. Ext. De iure patron.*

## §. 5. Clerici absque assensu Episcopi, Ecclesiam suam censualem facere non possunt.

In aliis vero Clericis hoc iure utimur, quod hi Ecclesias, quibus præsunt, censu onerare non possint, absque auctoritate & assensu Episcopi, *cap. Prætoris 8. Ext. h. tit. Secus cum auctoritate Episcopi, & si subit iusta causa, Glos. & Panorm. in d. c. Significavit.*

## §. 6. Ne Episcopi, Archidiaconi, &amp; Decani, exactionibus onerent subditos suos, excepto charitativo subsidio, &amp;c.

Illud quæ situm est, An Episcopus extraordinariam præstationem, sive contributionem imperare possit subditis suis? Verum huius rei extat apertum decretum ejusdem Concilii Lateranensis: Prohibemus, inquit Conc. ne subditos suos talibus & exactionibus Episcopi gravare præsumant. Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniant, ut si manifesta ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare. *Et paulo*



*ps*: Archidiaconi verò sive Decani nullas exactiones sive tallias in presbyteros, sive clericos exercere præsumant, *text est in c. Cum Apostolus 6. § prohibemus Ext. De censib. addo cap. Conquerens 6. in fine Ext. De offic. jud. ord.*

§. 7. *A Procuracione nulla Ecclesia vel monasterium excusatur: & quid sit Procuratio?*

A Procuracione verò nulla Ecclesia vel monasterium excusatur; ne quidem temporis præscriptione, *cap. Cum instantia 17. cap. Cum venerabilis 21. Ext. De censib. juncto cap. Cum ex officio 16. Ext. De præscript.* Est autem Procuratio hoc loco, necessarium sumptuum exhibitio; quæ ratione visitationis debetur Prælati: pura, Legatis Sedis Apostolicæ, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, Decanis provinciam suam vel diocesim visitantibus; *d. cap. Cum Apostolus, cap. Procuraciones 23. Ext. hoc nostris it.* Cùm enim, Apostolo teste, nemo cogatur militare suis stipendiis, & qui spiritualia seminat, magnum non est, si meret carnalia, *1. ad Corinthi 9. d. cap. Cum ex officio*, non sine ratione receptum est apud SS. Canones, ut dum Prælati visitando spiritualia suis exhibent, ab iisdem contra temporalia exhibeantur, *juxta alleg. jura*

§. 8. *Quis modus visitationis & procuracionis.*

Quis autem visitationis & procuracionis modus sit, præscribunt quidem Concilia Lateranense, *in d. c. p. Cum Apostolus, & Lugdunense, cap. 2. mod. tit. in 6.* Verùm hodie hæc res revocanda est ad decretum Tridentinæ Synodi, quod hic integrum adscribemus: Patriarchæ, *inquit Synodus*, Primates, Metropolitanis & Episcopi propriam diocesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium aut Visitatorem, si quorannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem; ita tamen, ut tota biennio per se, vel per Visitatores suos compleatur; visitate non prætermittant. A Metropolitanis verò, etiam post plenè visitatam propriam diocesim, non visitentur Cathedralis Ecclesiæ, neque dioceses suorum comprovincialium, nisi causâ cognitâ & probatâ in Concilio Provinciali: Archidiaconi autem, Decani & alii inferiores in iis Ecclesiis, ubi hætenus visitationem exercere legitime

conlueverunt, debeant quidem, assumpto Neriario, de consensu Episcopi deinceps per se ipsos, tantum ibidem visitare. Visitatores etiam à Capitulo deputandi, ubi Capitulum jus visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur: sed non ideo Episcopus, vel, eo impedito, ejus Visitator eadem Ecclesias seorsim ab his visitare prohibeatur: cui ipsi Archidiaconi, vel alii inferiores, visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones testium, ac integra acta exhibere teneantur: non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus & privilegiis quibuscumque. Visitatorum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocenciamque accendere, cætera; prout locus, tempus, & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quæ ut facilius felicitusque succedant, monentur prædicti omnes & singuli, ad quos visitatio spectat, ut paternâ charitate, Christianoque zelo omnes amplectantur, ideoque modesto contenti equitatu famulatuque studeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. Interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint, neve ipsi, aut quicumque suorum quidquam procuracionis causâ pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili: exceptis tamen victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra, erunt ministranda. Sit tamen in optio eorum, qui visitantur, si malint, solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxate, consuetum; an verò prædicta victualia subministrare: salvo item jure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non parochialibus inito, quod illarum sumptuum maneat. In iis verò locis seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quicquam aliud à Visitatoribus accipiat, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. Quod si quisquam, quod & absit, aliquid amplius in

*supra*



supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit, is præter dupli restitutionem intra mensam faciendam, alius etiam pœnis juxta Constitutionem Concilii generalis Lugdunensis, quæ incipit, Exigit, c. 2. De censib. lib. 6. nec non & aliis pœnis in Synodo provinciali, arbitrio Synodi, absque ulla spe veniæ mulctetur: Patroni verò in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere; ne-

que visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immiscerent, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat, sed Episcopi ipsi hæc faciant; & fabricarum reditus in usus Ecclesiæ necessarios & utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendere, *text. Concil. Trid. sess. 24, cap. 2, de reformat.*

DE DECIMIS.  
TITULUS XXVI.

**N**unc de Decimis agamus, quæ & ecclesiastici juris sunt. Si quidem à sacris Canonibus discretè sancitum est, ut ex omnibus rebus, quas quis quavis ex causa justè acquisiverit, decimas, id est, decimam earum partem pendat Ecclesiæ ministris, *cap. Non est 22, cum cap. seqq. cap. Tua nos 26, Ext. hoc tit. can. Quicumque 4, cum 2, seq. xy. q. 7, can. Decima ead. q. 1.*

§. 1. Duplex genus decimarum.

Harum duplex genus est; aliæ enim personales sunt, aliæ prædiales. Personales solvuntur ratione personæ; puta, ex lucro negationis, venationis, militiæ, vel alterius muneris sive artificii, *jam dictis jurib.* Prædiales, ex proventibus prædiorum; veluti ex frugibus, fœno, vino, fructibus arborum, ex obventionibus molendinorum, c. 4, & *passim Ext. hoc tit. locatarum ædium, cap. penult. Ext. De pact. & similibus.* Nam hæc omnia ex præscripto factorum Canonum, decimarum functioni subjecta sunt, *ut videre est jam dictis jurib.*

§. 2. De tertio genere decimarum.

Sunt qui his tertium genus decimarum interiticiunt, quas mixtas appellant, id est, partim prædiales, partim personales, quales sunt, quæ ex fructibus pecorum aliorumque animalium, veluti ex sœtu, lana, lacte, colliguntur, *cap. Pervenit 5, cum e seq. Ext. eod. Hostiens. in Summa hujus tit. num. 3, Rebuff. in tract. de decimis qu. 3, in fine, Navar. in Manuali cap. 21, num. 29, sed commodius hæc revocantur ad prædiales decimas, ubi animalia in prædiis pascuntur, ex sententia cap. 4, Ext. hoc tit. At si domi, potrecto pastu, ad personales referantur; nisi fortè utrimque æquè pascantur,*

quæ specie mixtum genus constituerent, *arg. §. 1. Titius Instit. De ver. divis.*

§. 3. Differentia inter personales & prædiales decimas.

Illud discriminis est inter personales & prædiales decimas, quòd in his expensæ seminis, cultura, vel alterius rei non deducantur; in illis detrahantur impensæ, quæ factæ sunt quærendis, emendis & convehendis rebus, *cap. Pastoralis 28, c. Cum homines 7, cap. Ex parte 21, cum 2, seq. cap. Tua 26, Ext. hoc tit.* Quare in prædialibus decimis id singulare est: cum aliqui fructus non intelligantur, nisi deductis expensis, quæ quærendorum, colligendorum, conservandorumque eorum gratiæ factæ sunt, *l. Si à patre 39, §. fin. D. De petit. hered. l. Fructus 7, D. Solutio matrim. & l. 2, C. De fructib. & lit. expens.*

§. 4. Cui decima prædiales solvenda sint.

Solvuntur verò decimæ prædiales Parocho, cujus Parochiæ finibus prædia continentur, *cap. Cum contingat 29, cum cap. seq. cap. Quoniam 13, Ext. hoc tit. cap. 2, De restit. spoliat. in 6, nisi consuetudine aut præscriptione. c. Cum sint homines 181, cap. Ad Apostolica 20, Ext. hoc tit. c. 1, De præscript. lib. 6, 2, aut privilegio, cap. Ex parte 27, d. c. Cum contingat & ibi Glos. & Innoc. vel ex compromisso, si veritas actione jus decimandi alteri Ecclesiæ quæ situm sit, *De compromisso vide textum & ibi Panorm. in c. Apostolica 7, Ext. De his quæ sunt à prelat. De transactioe vide c. 2, Ext. De transact. c. 3, c. 8, Ext. hoc tit. juncto §. penult. inf. eod.**

§. 5. Laico an jus decimandi possit competere.

Laicis verò neque præscriptione, *cap. Causam 7 Ext. De præscript.* neque auctoritate Episcopi vel alterius,



alterius, jus decimandi competere potest, *can. 1, xvi. q. 7, c. Ad hoc 15, c. Quamvis 17, c. Prohibemus 19, hoc tit. b.* si quidem hoc jus spirituale est, ac proinde in laicum non cadit, *cap. fin. Ext. De rer. perm. juncto d. c. Causam 7.* Exceptis his, quibus à Pontifice nominatim id concessum est, *arg. cap. Hadrianus cum e. segg. 63, dist. Paborm. ad d. cap. Causam num. 3,* aut quibus ante Concilium Lateranense decimæ in feudum datae sunt, *cap. Cum Apostolica 7, Ext. De his qua fiunt à pralat. Et ibi Panor. mit. num. 11, cap. 2, §. Janè eod. in 6, vide Covarr. Var. resol. lib. 1, c. 17, num. 5, vers. solim sanè* His enim duobus casibus decimæ à laico rectè possidentur, *jam ad juris.*

§. 6, Possessor decimarum aliena parochia spoliatus, ante omnia restituendus.

Hinc quaesitum est, An si Parochus loci interverterit possessionem decimandi alteri clerico, videlicet ipse percipiendo decimas, statim restitui debeat: Et non restitui oportere, priusquam titulum possessionis suæ legitimè probaverit, docet, Bonifaciana constitutio, ob præsumptionem juris communis, quæ militat pro Parocho loci adversus spoliatum, *c. 2, De restit. spoliator in 5.* Quare idem magis obtinet in laico spoliato, propter defectum possessionis suæ; licet alioquin ordinarii juris sit, spoliatum etiam prædonem ante omnia restituendum esse, *c. In literis 5, Ext. De restit. spoliat. can. Omnes 11. q. 1, l. 1, §. Et qui à me D. De vi, Et §. recuperanda Inst. De interdittis.*

§. 7, Cui decimæ personales exsolvuntur.

Personales decimæ illi Ecclesiæ solvuntur, in qua quis sacramenta Ecclesiastica percipit, licet alibi lucrum obtigerit, *c. Ad Apostolica 20, Ext. hoc tit. c. fin. Ext. De Parochiis, can. Decimas xvi. q. 1.* Verùm rarior harum decimarum usus est.

§. 8, De novalium decimis.

Novalium decimæ prædialium numero censentur; atque idcirco Parocho loci penduntur, *cap. Quoniam 13, cap. Cum contingat 29, hoc tit.* Est autem novale, ager de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit, *c. 1, Et c. Quid per 21, Ext. De verb. signif. c. fin. Ext. De privileg. Aliter jura civili accipitur, l. Sylva 30, D. De verb. signif.*

§. 9, De novalibus incerta parochia.

Quòd si novalia incertæ parochiæ sint, pro-

pius est, ut eorum decimæ ad Episcopum pertineant, qui vel alteri Ecclesiæ eas assignabit, vel in opus suum converteret, *d. c. Quoniam.*

§. 10, Prescriptio et privilegium non extenduntur ad novalia.

Porro ubi decimæ alteri quàm Parochiali Ecclesiæ ex præscriptione vel privilegio competunt, non continebuntur decimæ novalium, *d. cap. Cum contingat cum c. seg. Ext. hoc tit.* Cujus aperta ratio in præscriptione est; quòd præscriptio non procedat absque possessione, quæ in decimis novalium nulla dari potest. In privilegio verò propter strictam ejus interpretationem, cum ultra quàm privilegio comprehensum est, porrigi non debeat, *cap. Dilcti 8, Ext. eod. cap. Porro 7, Ext. De privileg. Et sup. De relig. domib. §. in tamen, Adde Covarr. var. resol. lib. 1, cap. 17, num. 13.*

§. 10, Qui ad decimas teneantur.

Quòd ad debitores decimarum attinet, illud constitutum juris est, quemlibet ad decimarum solutionem teneri, sive is Ecclesiasticus sit sive secularis, sive Monachus, *cap. A vobis 24, Ext. hoc tit. can. Si quis laicus 42, Et can. antepen. xvi. q. 1.* Et quidem in prædialibus hæc ratio est, quòd fructus prædiorum hoc onere affecti sint; ac proinde cum sua causa quemlibet possessorem comitantur, *cap. Cum non sit hoc tit. juncta l. Alienatio 57, D. De contrah. empt. cap. Ex literis 5, Ext. De pignor. In personalibus, est Sacramentorum perceptio, *cap. Ad Apostolica 20, hoc tit. Et cap. fin. Ext. De paroch. Quòd fit, ut si clerici in suis Ecclesiis Sacramenta percipiant, ad præstationem personalium nequaquam cogi possint, c. 2, Ext. hoc tit. juncto d. c. Ad Apostolica.**

§. 11, Monachi ad quas decimas non teneantur.

Sed & in Monachis hoc temperamentum adhibetur, ut qui sunt ordinis Cisterciensium, Templariorum, & Hospitalariorum, decimas suorum laborum non pendunt, *c. Ex parte 10, cum c. seg. Ext. hoc tit.* ex iis scilicet prædiis, quæ ante Concilium Lateranense sibi acquisiverunt, *c. penult. hoc tit.* Cæteris autem Monachis decimæ suorum novalium, quæ propriis manibus aut sumptibus excollunt, item animalium & horæorum suorum beneficio Hadriani Pontificis remissæ sunt, *d. c. Ex parte 10, vers. cæteris verò.*



§. 12. Ex decimis perceptis canonica portio debetur Episcopo: nisi ea prescripta sit.

In Clericis illud obtinuit, ut ex decimis à se perceptis Canonica portioem inferre cogatur Episcopo, quæ est quarta pars decimarum perceptarum, cap. Conquerente 20, Extr. De off. jud. ordin. cap. Quoniam 13, ibi, una parte percenta, Extr. hoc sit. Verum huic Canonica portio quadraginta annorum spatio à Clericis prescribitur contra Episcopum, c. 4, Extr. De prescript. g.

§. 13. Exemptio à decimis quatuor ex causis.

Ceterum immunitas à decimarum præstatione ex quatuor capitibus contingere potest: aut privilegio S. Pont. aut consuetudine sive prescriptione, aut transactione, aut remissione ejus, cui debentur.

§. 14. De privilegio & prescriptione exemptionis à decimis.

De privilegio explorati juris est, per text. in cap. 3, c. 9, c. 10, & c. penult. hoc tit. quemadmodum & de consuetudine sive prescriptione, cap. in aliquibus 32, in fine eod. cap. 1, De prescript. in 6, d. cap. 4, nisi quod in privilegio animadvertendum sit, ne illud nimium damnosum sit Ecclesiæ, cui alias decimæ debentur. Nam hac specie privilegium subreptionis exceptione refelli potest, c. Quid per normale 21, Extr. De verb. signif. juncta l. 2, C. De precib. Imp. offer. Idem est si causa privilegit esset, cap. Suggestum 9, Extr. hoc tit. cum sublatâ causâ, rollatur quoque ejus effectus, cap. Cum cessante 60, Extr. De appellat.

§. 15. Rursus de privilegio exemptionis.

Sed & duobus aliis modis huic privilegio derogatur, aut per renuntiationem expressam sive tacitam, aut per sententiam judicis. Per expressam renuntiationem: si is, cui privilegium competit, expressè illi renuntiet, cap. Nuper 4, Extr. hoc tit. c. 1, De pactis in 6, Ratio est in l. penult. C. De pactis. Per tacitam, si 30, vel 40, annorum spatio decima contra privilegium soluta sit ab Ecclesiâ, vel monasterio privilegiato, cap. Si de terra 6, & c. Accedentibus 15, Extr. De privil. d. (Nam in privato sufficit vel una solutio consulto facta, c. Cum accessissent 8, Extr. De constitut.) Per sententiam verò judicis, si ea lata sit contra privilegium deductum in judicium, vel etiam non deductum, sed suppressum vel neglectum à parte, c. Suborta 21, Extr. De sent. & re judic. Nam prætextu privilegii de

novo reperti sententia non retractatur, l. Imperatores 35, D. De re judic. facit l. Sub prætextu C. De transact. nisi ex justa causâ petatur in integrum restitutio, vide infra. De integr. restitut.]

§. 16. De transactione decimarum non solvendarum.

Transactio verò de decimis non solvendis ita demum valet, si nihil temporale ab altero præstatum intercesserit, cap. fin. Extr. De rer. permutat. eaque perpetua est, si & Episcopi consensu facta sit, c. 2, Extr. De transact. alias personam transigentis non egreditur, cap. Veniens 8, juncto c. De cetero d. tit. De transact.

§. 17. De remissione decimarum.

Denique decimæ rectè remittuntur, prospectu paupertatis debitoris, cap. Decima & can. fin. xvi. q. 1, aut vitandi scandali causâ, exemplo D. Pauli, Ador. 20, circa fin. 2, ad Corinth. 11, de quo latius D. Thomas 1, 2, q. 87, art. 1, in responso ad 5, & ibi Cajet idque ad tempus, non in perpetuum: alioqui hæc remissio alienationem saperet, perniciosaque esset Ecclesiæ, cap. 2, Extr. De donat.

NOTATIO IN Tit. 26.

a Hac prescriptio immemorialis esse debet: cum jus commune, quo Parocho loci solvi jubentur decima prescribenti adverteatur: aut certe prescriptio quadragenaria esse debet cum titulo, secundum decisionem textus in cap. De prescript. in 6, de quo latius Covarr. Var. resolut. lib. 1, cap. 17, num. 7.

Etiam si sit immemorialis prescriptio, propter rationem, quæ in textu subicitur, quod scilicet jus decimandi sit spirituale, ac proinde in laicum non cadit ejus quasi possessio, quæ requiritur in prescriptione rerum incorporalium, c. Causam 7, Extr. De prescript. juncto cap. 3, Extr. De causis poss. ff. Ex optis tamen duobus casibus, qui in textu nostro recensentur, quibus cessantibus videntur laici, quo jure possident decimas: nec enim alium titulum obtinere possunt.

g Quod hic dicitur de prescriptione 40, annorum, desumptum est ex cap. 4, Extr. De prescript. & exaudi debet, si & titulus adsit: alias opus est prescriptione immemoriali, juxta text. in cap. 1, De prescript. in 6, qui ad verbum recitatur in § & licet in f. tit. de except. Panorm. ad d. cap. 4, num. 3, Balb. in tract. de prescript. 1, part. quinta principalis qua sit. 13, Adde Covarr. sup. citato loco.

d Textus hic de prescriptione 30, vel 40, annorum huic relatus est ex cap. Si de terra 6, & ex cap. Accedentibus 15, Extr. De privil. & non parvum difficult.



tatem movet, propter juris communis regulam; quæ contra Ecclesiam non currit præscriptio minor quadragesimaria, cap. 4. c. 6. & c. 8. Ext. De præscript. cuius tenor conformis est in d. cap. Accedentibus. Vnde mirum est, cur d. c. Si de terra, minorem admisit, videlicet triginta annorum. Sed putat Panorm. ad d. cap. Accedentibus, hoc capitulum tamquam posterius corrigere d. cap. Si de terra; & pro hac sua sententia citat Glosibidem communiter receptam. Ceterum, ut correctio iurium quoad fieri potest, evitetur, cap. Cum expediat 29, in princ. De elect. lib. 6. l. unicas. C. De inoffic. dotib. melius est, ut separemus speciem d. cap. Si de terra à specie d. cap. Accedentibus, si quidem in illo agitur de præscriptione parochialis Ecclesie, ad quam aliàs de iure pertinent decima, contra monasterium: ac proinde cum

hac præscriptio favorabilis sit, eò quod res facilis ad suam naturalem redeat, l. Si unus 27, §. pactus verli. quod si non D. De pact. c. Venerabilis 21, Ext. Decensibus idem in hac præscript. minus tempus sufficit. Quod secus accidit in d. cap. Accedentibus, ubi alii inter se certant de decimis. Et huius sententia videtur esse Henricus Boich ad d. cap. Si de terra, & Covarr. in cap. Possessor malæ fidei in initio 2, part. num. 9, De reg. jur. in 6, Quod sit, ut utramque præscriptionem in textu nostro reliquerimus. Nec enim verisimile est, hac duo capita sup. eodem titulo contenta, eodemque tempore à collectore Decretalium edita, sibi invicem derogare, contra præcæm lib. Decretalium, ubi superflua præcisa dicuntur.

## DE PRÆBENDIS.

## TITULUS XXVII.

## §. 1. Præbenda quid sit.

**P**ræbenda nihil aliud est, quàm beneficium Ecclesiasticum, cap. Si quis dator, can. Ex multis §. constitutus l. 9. 3, sive jus percipiendi proventus Ecclesie ratione ministerii Ecclesiastici.

## §. 2. Divisio præbendarum sive beneficiorum.

Præbendarum sive beneficiorum Ecclesiasticorum quædam curata sunt, quædam non curata. Curata dicuntur, quæ animarum curam annexam habent: idque duplici ratione, vel quia beneficijatus certis personis, puta, parochiæ suæ, Sacramenta Ecclesiastica administrat, & verbum Dei denuntiat, cap. 2, §. verum De sepult. in Clement. vel quia exercet ea, quæ sunt jurisdictionis spiritualis; veluti sunt, visitare, inquirere, suspendere, excommunicare, absolvere, cap. Execrabilis §. fin. De præbend. in Extravag. commun. Nam & hæc animarum curam concernunt, vide laicus Conc. Trident. sess. 23, cap. 1. de reform. & Panorm. ad cap. De multis n. 24, Ext. hoc tit.

## §. 3. Altera divisio.

Rursus beneficiorum Ecclesiasticorum alia adjunctam habent dignitatem, alia personatum, alia præposituram, alia administrationem, alia officium; alia nihil horum habent, c. 1, De consuet. ad lib. 6, & ibi Dd. vide Panorm. ad d. c. De multis n. 20, cum seqq. ubi hæc explicat.

## §. 4. De clerico absque beneficio non ordinando.

Prudenter verò à sacris Canonibus sancitum est, ne quis in Clericorum numerum cooptetur, nisi cum beneficii titulo; idque ad eò olim obtinuerat, quòd etiam Ordines Ecclesiastici absque titulo suscepi, irriti & inanes haberentur, in ordium ordinandum, cap. Cum secundum 6, Ext. hoc tit. Quo jure hodie non utimur, sed Episcopus à se ordinato sine titulo, vel ipsius successor, tamdiu alimentata subministrat, donec is beneficium Ecclesiasticum consequatur, c. 2, & d. cap. Cum secundum, adde cap. si Episcopus 37, eod. in 6, ubi quid iuris, si quis ab alieno Episcopo sine titulo ordinetur.

## §. 5. Decretum Concilii Tridentini.

Quam in rem extat & Concilii Tridentini decretum: statuit, inquit, sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientiâ & ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constiterit beneficium Ecclesiasticum, quòd sibi ad vitam honestè sufficiat, pacificè possidere. Id verò beneficium resignare non possit, nisi factam mentionem, quòd ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constituto, quòd aliunde vivere commodè possit, & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium verò vel pensionem obtinentes, ordinari post hæc non possunt, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos



mandos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem verè ab iis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint; antiquorum Canonum pœnas super his in-

novando, text est Conc. Trid. sess. 21, c. 2, de reform.

§. 6, De modis acquirendi beneficium Ecclesiasticum.

Acquiritur præbenda sive beneficium Ecclesiasticum, vel per concessionem, vel per institutionem. De quibus hæc ex ordine differemus. Nam de electione & postulatione supra egimus, tit. 11, & 12, lib. 1.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ SIVE BENEFICII ECCLESIASTICI.

TITULUS XXVIII.

§. 1. Præbenda à quibus concedantur.

**P**ræbenda sive beneficium Ecclesiasticum conferitur, aut ab Episcopo, aut à Capitulo, aut à S. Pontifice, aut à Legato Sedis Apostolicæ.

§. 2, Episcopus quo iure beneficium conferat, item Capitulum.

Ab Episcopo idè rectè conferitur, quòd is ex præscripto sacrorum Canonum, Ecclesiarum omnium suæ diœcesis curam gerat, can. Omnes Basilicæ cum can. seq. xvi q. 7, can. Decretum, cum 3, seq. x q. 1, cap. Cum ex iuncto in fine Ext. De heret. Ut tamen in conferendo beneficium, Episcopus & Capituli sui (cum quo unum corpus constituit) consilium adhibeat, cap. Novit. 4, cum c. seq. Ext. De his que fiunt à prelat. nisi fortè consuetudine, vel statuto Ecclesiæ aliter receptum esset, ut vel solus Episcopus, vel solum Capitulum beneficium conferat; quod meritò retinendum est, cap. Cum Ecclesiis 31, Ext. De elect. cap. Ea noscitur Ext. De his que fiunt à prelat. c. unico §. fin. Ne sede vacante in d. iuncto cap. fin. Ext. De consuet.

§. 3, Beneficia antequam vacent, non sunt conferenda.

Priusquam verò vacet beneficium Ecclesiasticum, alteri conferendum vel etiam addicendum non est, ne vorum captandæ mortis alterius inducatur, c. 2, Ext. De concess. præbenda; adeoque collatio vel additio huiusmodi ipso iure nulla est, c. 3, c. 13, eod. Concil. Trid. Sess. 24, c. 19, de reform. Neque interest, generaliter vel specialiter beneficii nondum vacantis promissio quibuscumque verbis facta sit, cap. 2, eod. lib. 6.

§. 4, Vacantia beneficia quando conferenda.

Ubi autem vacant beneficia vel officia Eccle-

siastica, conferenda sunt intra sex menses; alioquin his elapsis, ab Episcopo, si ad eum spectat, collatio devolvitur ad Capitulum; & è diverso à Capitulo ad Episcopum: his autem negligentibus, ad Metropolitanum, d. cap. 2, Ext. eod. lib. latius: & post hunc ad Patriarcham, cui Metropolitanus subest; quem si non habet, ad S. Pontificem collatio defertur, cap. 3, Ext. De supplicanda neglig. prælat. adde Panormit. ad d. c. 2, n. 7, Ext. eod.

§. 5, Vbi non est certus numerus beneficiorum, nulla vacatio datur.

Quæ certè obtineat in beneficiis cuiuscumque generis: exceptis Episcopalibus & Regularibus prælatis, quarum electioni trium mensium spatium præstitutum est à iure, cap. Ne pro defectu 43 Ext. De elect. cap. Dilectus 12, Ext. De concess. præben. vide supra tit. de elect. Item Ecclesiis, quæ certum beneficiorum numerum constitutum non habent, ac proinde in iis numquam censetur vacare beneficium, cap. Ex parte 10, Ext. hoc nostro tit.

§. 6, Tempus sex mensium unde incipiat currere.

Tempus verò sex mensium non à tempore vacationis beneficii, sed notitiæ computandum est, neque legitime impeditis currit, cap. Quia dixerunt 5, Ext. h. tit. d. cap. 3.

§. 7, Sede vacante non succedit Capitulum in collationem beneficiorum.

Cui consequens est, ut neque Sede Episcopali vacante succedat Capitulum in collationem beneficiorum ad Episcopum spectantium, cum hæc nulla argui possit negligentia Episcopi; ac proinde cessat hoc casu devolutio beneficii vacantis ad Capitulum, cap. 2, Ext. Ne sede vacante.



## § 5. De collatione post tempus facta.

Planè si decursa collationis spatium, nihilominus per negligentem fiat collatio beneficii vacantis, sufficitur quidem eo casu collatio, sed ex patientia, si modò idoneo facta sit, c. *Litera* 4, Ext. De supplen neglig. pral.

## § 9. De auctoritate S. Pontificis in beneficiis conferendis.

Ad S. Pontificem quod attinet, dubium non est, quin is pro summa in universa Ecclesia potestate, omnes Ecclesias, earumque beneficia cuiuscumque generis liberè conferre possit, non tantum vacantis, sed & vacatura, cap. 2, De praben. in 6, non tamen hodie eo jure utitur, propter Conc. Trid. sess. 24, cap. 19. de refor. ubi videt, nisi in beneficiis apud Sedem Apostolicam vacantibus, quæ singulari jure dispositioni S. Pontificis referata sunt, d. c. 2, De prab. lib. 6.

## § 10. Quæ beneficia Ecclesiastica apud Sedem Apostolicam vacare dicantur.

Dicuntur autem beneficia vacare apud Sedem Apostolicam, ex Bonifacii VIII. declaratione, quæ ab illis possidebantur, qui in Curia Romana, vel in vicino ei loco, per duas dietas legales, id est, per iter duorum dierum (computando vicinam millia passuum in singulos dies, id est, viginti miliaria italica, l. 1. Et ibi Glos. D. Si quis cautionib. l. Inire 3, D. De verb. signif.) dum ad Curiam irent vel redirent; è vivis excesserint, c. In present. 33, De praben. lib. 6, Excipit tamen parochialem Ecclesiam, defuncto Papa, juxta c. Si Apostolica 35, eod. tit. lib. 6, Quæ tamen si non conferat S. Pontifex intra mensem à die vacationis, redit ad eos collatio, ad quos alias spectabat, c. 3, eod. lib. 6.

## § 11. Beneficium, quod vacat per aliud beneficium incompatible, reservatum est Sedi Apostolicæ.

Sanè ex Joannis XXII. constitutione & ea beneficia, quæ per ademptionem alterius beneficii incompatible quocumque loco vacant, Sedi Apostolicæ specialiter reservata sunt, in c. Execrabilis De prab. in Extravag. commun.

## § 12. De legatorum Sedis Apostolicæ potestate in conferendis beneficiis.

Quoad Legatum Sedis Apostolicæ, quam scilicet potestatem habeat in beneficiis Ecclesiasticis conferendis, supra retulimus, tit. de off. Legati §. inter, cum 2, seqq.

## § 13. In quo conveniant collatio beneficii à S. Pontifice facta, &amp; ab ejus Legato, cum alio.

Illud commune est collationi S. Pontificis & Legati Sedis Apostolicæ, quòd utraque tamquam surrepticia & nullius momenti sit, ab eo sive ejus nomine impetrata, qui aliud beneficium, licet exiguum, obtinet, nullà hujus mentione factà, c. Si motu 23, De praben. in 6, c. fin. De off. leg. in 6, Diversum verò est in aliorum collationibus, c. 1, De off. ind. ord. in Clement.

## § 14. Beneficium motu proprio collatum.

Porro, ubi motu proprio expressè collatio beneficii facta est per S. Pontificem, constat omnino collatio; nullà etiam aliorum beneficiorum, quot & qualiacumque illa sint, facta mentione, d. c. Si motu cum c. 1, eod. in Clem.

## § 15. An in casu motu proprio, &amp; in collatione Ordinarii intelligatur dispensatio facta super pluralitate beneficiorum?

Quæ tamen non è trahenda sunt, quasi collatio beneficii motu proprio à S. Pontifice, vel ab Ordinario facta, dispensationem inducat duo vel plura beneficia simul retinendi; sed dumtaxat èd pertinet, ne posterior illa collatio subreptionis argui possit, per text. in cap. Non potest 21, De praben. lib. 6, Quòd fit, ut si beneficium posterius cum priori incompatible sit (qualia sunt duo beneficia curam animarum, dignitatem personarum, vel officium annexum habentia) utique in priori retinendo dispensatio exigatur, alioqui ipso jure prius beneficium vacat, cap. Execrabilis §. porro, cum §. seq. De praben. in Extravag. commun. c. De multa 28 Ext. De praben. cap. 1, De consuet. in 6.

## § 16. Causa dispensationis super pluralitate beneficiorum incompatible.

Legitima verò dispensationis causa est in Cardinalibus, & Regum filiis, d. cap. Execrabilis §. 1, Item in sublimibus & literatis personis, si & in his iusta causa S. Pontificem permoveat ad dispensandum, d. cap. De multa. Etenim convenientia nihil prodest plura beneficia possidenti, cum is qui connivet dispensare non intelligatur, cap. Cum jam dudum, 18, in fine Ext. De prab.

## § 17. Decretum Concilii Tridentini super pluralitate beneficiorum, &amp;c.

Quia in re prætereundum non est sacri Concilii Tridentini decretum; quod hic libet adscribere:



scribere: Cùm Ecclesiasticus, inquit, Ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, sanctè sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conferri. Verùm quoniam multi improba cupiditatis affectu seiplos, non Deum, decipientes, ea quæ benè constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt; sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsentì decreto; quod in quibuscumque personis quocumque titulo, etiam si Cardinalatus honore fulgeant, mandata observari, statuit, ut in posterum unum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem si ad vitam ejus, cui conferatur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personale residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modò ad Cathedralis Ecclesias, sed etiam ad omnia alia beneficia, tam secularia quàm Regularia quæcumque etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant, ex Concil. Trident. sess. 24

cap. 17. de reform. Ceterùm quæ ad sublevandam tenuitatem Ecclesiarum Cathedralium & Parochialium, item Canonicoꝝ Cathedralium & Collegiatarum insignium, spectant, hîc consule d' omittimus brevitatìs causa. De his idem Concilium Tridentinum adatur, d. sess. 24, cap. 13, & cap. 15, de reform.

§. 18. Cui Ecclesiasticum beneficium conferendum sit.

Ab extremum, nullus ad Ecclesiasticum beneficium assumi potest, nisi Clericus, primà saltem tonsurâ initiatus, quatuordecim annorum, Concil. Trident. sess. 21, cap. 6, de reform. & qui in loco beneficii sui potest residere & deservire, ut inf. de Clericis non residentibus. In dignitatibus tamen, canonicatibus, portionibus Ecclesiasticis, quæ sacrum Ordinem annexum habent, illud amplius est; ut qui ad eas assumuntur, etiam eodem ordine insigniti sint, aut ejus ætatis, quod infra tempus à jure & à Concilio Tridentino definitum eo possint insigniti, cap. Cum 7, § inferiora Ext. De elect. cap. 14. & cap. 24, eod. in 6, idem Concil. Trid. sess. 7, c. 3, & sess. 24, c. 12, de reform, §. naminem.

## DE INSTITUTIONE ET JURE PATRONATUS.

### TITULUS XXIX.

#### §. 1. Quid nomine Institutionis veniat.

**A**lter modus acquirendi beneficii Ecclesiastici est, ut supra diximus, §. fin. de præben. institutio; quæ etsi hoc jure nostro quandoque sumatur pro collatione Ecclesiæ sive Ecclesiastici beneficii, ut passim fit De instit. Ext. cap. 4. Ext. De his quæ fiunt à prælat. cap. Cum ex injuncto 12, Ext. De heret. quandoque pro deductione in possessionem Ecclesiæ sive beneficii Ecclesiastici, quæ jure communi ad Archidiaconum spectat, cap. Ad hæc 7, cap. Re nostrum Ext. De offic. Archid. propriè tamen, & hoc quidem loco, accipitur pro translatione juris Ecclesiastici ad præsentationem patroni Ecclesiæ sive beneficii Ecclesiastici facta, c. 4, c. 5, c. 7, cap. 8, cum similib. Ext. De jure patron.

#### §. 2. Ad quem pertinet institutio.

Hæcque institutio fit, aut per Episcopum, cap. 4, c. 5, cap. 8, c. 10, cap. 12, & c. fin. Ext. De jure patron. aut ipsius Vicarium, cap. 3, Ext. De instit. aut, Sede vacante, per Capitulum, cap. 1, eod. in 6, aut per

eum, cui aliàs ex præscriptione competit, cap. Auditis 15, c. Cùm olim 18, Ext. De præscript. & ibi vide Panorm. adde omnino Conc. Trid. sess. 14, c. 12, & c. 13, & sess. 25, cap. 9, de reform. cujus verba infra hoc tit. citantur. Ceterum de jure Patronatus hic latius dispiciamus.

#### §. 3. Definitio juris Patronatus.

Est itaque jûs Patronatus, potestas præsentandi instituendum ad beneficium vacans, (ita rectè Lancelot. in Institutionib. suis h. t.) quod attinet ad præsens argumentum, in quo de institutione agitur. Alioqui & in prælaturis, quæ sine institutione per electionem conferuntur, jûs Patronatus locum sibi vindicat; non ut eligendus per Patronum prius præsentetur, sed ut electione factâ, ejus assensus sive comprobatio honestè requiratur, cap. Nobis 15, Ext. De jure patron. & cap. Cum terra 14, cap. Sacrosancta 51, Ext. De elect. nisi sortè Patronatus & tractandæ electionis jus habeat, d. cap. Nobis vers. nisi aliter.

Q999 2

§. 4. Qui



## §. 4. Quibus modis jus Patronatus inducatur.

Inducitur autem jus Patronatus, vel per fundationem, vel per constructionem, vel per dotationem Ecclesiæ; nec non per præscriptionem, & summi Pontificis privilegium. Per fundationem, Ecclesiæ extruendæ, *can. Abbatem in monasterio xviii. qu. 2.* Per constructionem, si Ecclesiæ impensis alicujus ædificetur, *d. cap. Nobis, can. Pia mentis, can. Fulgentius, can. Monasterium xvi. quæst. 7.* Per dotationem, si ministris Ecclesiæ & luminaribus necessaria constituantur, *can. Nemo de consec. dist. 1.* ut tamen Episcopi consensus ubique accedat, *d. can. Pia mentis, can. Fulgentius, can. Considerandum xvi. quæst. 7. d. c. Nobis De jure patron.* Præscriptionem verò immemorabilem esse oportet, ut juri Patronatus locus sit, *c. Querelam 2. 4. Ext. De elect.* Nec dubitandum est, privilegio S. Pontificis hoc jus induci posse, propter summam ejus in omnes Ecclesias & beneficia potestatem, *cap. 2. De præben. lib. 6.*

## §. 5. Decretum Concilii Tridentini.

Cæterum, Concilium Tridentinum his de rebus ita censet: Decretis sancta Synodus, ut titulus juris patronatus sit ex fundatione vel dotatione, quæ ex authentico documento, & aliis jure requisitis, ostendatur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliâve, secundum juris dispositionem. In iis verò personis seu Communitatibus, vel Universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si præter reliqua ad eam necessaria præsentationes, etiam continuæ, non minori saltè quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficiis tam secularibus, quam regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque aliis beneficiis, in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia; seu facultates & privilegia concessa tam in vim patronatus, quàm alio quocumque jure nominandi, eligendi, præsentandi, ad ea, cum vacant, exceptis patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis, competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem & Reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos Principes, jura Imperii in dominiis suis

habentes, pertinent, & quæ in favorem Studiorum generalium concessa sunt, in totum proferus abrogata, & irrita cum quasi possessione indefectâ, intelligantur; beneficiaque hujusmodi tantquam libera, à suis collatoribus conferantur, ac provisiones hujusmodi plenum effectum consequantur. Ad hæc liceat Episcopo præsentatos à Patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quòd si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen juxta alias statuta ab hac sancta Synodo examinentur, alioquin institutio ab inferioribus facta, irrita sit & inanis. Ita Conc. Trid. Sess. 15, cap. 9, de reform.

## §. 6. Jus patronatus &amp; ad hæres transit.

Atque his modis semel inductum sive constitutum jus Patronatus, etiam ad hæres Patroni transmittitur, *cap. 2. De jure patron. in Clem.* ita tamen, ut si ex pluribus Patronis unius defuncti multi hæres sint, hi omnes in præsentando unius vocem habeant, ob personam defuncti, quem unum omnes succedendo repræsentant, *d. c. 2. in Clement. add. Crotum add. c. 3. b.*

## §. 7. Quin &amp; ad alios.

Sed & in titulo donationis, *cap. Ex infirmatione 2. 4. Ext. De jure patron. cap. unico eod. in 6. venditionis, universitatis, Gloss. ad c. Cum seculum 13. Ext. eod. Innoc. ad Rubr. ejusdem tit. Hostiens. in Summa vers. qualiter transferatur per text. in can. Nemini xvi. q. 7. re c. d. in alium transit jus Patronatus: dum si in laicum donatio fiat, etiam Episcopi approbatio accedat; nam si in Ecclesiam aut in locum religiosum, nullo Episcopi consensu opus est, *cap. unico De jure patron. lib. 6. c. Nullus & quæ ibi notant Gloss. & DD. Ext. d. tit. Permutatio verò ita demùm permessa est, si fiat cum alia re spirituali; puta cum alio jure Patronatus, per text. in c. Ad quæstiones 6. De rer. permut. Vide Innocent. & Hostiens. anti. citates.**

## §. 8. Universitatis nomine quæ veniant, &amp; quomoda transferatur jus Patronatus.

Universitatis verò nomine veniant, hæreditas, bonorum possessio, *l. Item veniunt 22. §. ait Senatus in fine D. De petit. hered. l. 2. D. Quorum bonor. civitas, pagus, castrum, prædium, l. Cum fundus 10. in fine De leg. 2. ad l. Si mercedem 55. §. 1. D. De act. empti;* in quibus Ecclesia patronata continetur; quæ si in alium transferantur, & jus Patronatus illis inhærens unâ transfertur, *arg. d. l. Cum fundus l. 10.*



*In modicis. 24 in fine De contrah. empe. Licet in conductore universitatis oppignorata diversum obtineat, c. Cum Baribaldus 18. Ext. De sent. & rejud. 2. Per se verò sive separatim jus patronatus vendi non potest, cum spirituali annexum sit, c. De jure 16. Ext. De jure patron. add. Concil. Trident. sess. 25. cap. 9. vers. nec dictum de reform.*

§. 9. Non refert, Patronus secularis an Ecclesiasticus sit, unus vel plures, qui & vicissim ex conventionibus presentari possunt.

Ex quibus constat, nihil interesse, Patronus secularis sive ecclesiasticus, unus vel plures sint, cap. unico De jure patron. in 6. c. 1. c. 3. cum simil. Ext. eod. dummodò si plures sint, in presentando omnes vel certè major pars in eundem conveniant, d. cap. 3. vide Glos. & Paporm. tamen si Patroni inter se pacisci possint, ut alterius vicibus singuli presentent, cap. 2. vers. & ut facilius De jure patron. in Clem. Plures quoque hæredes unius patroni mortui non nisi in presentando unius locum obtinent, d. c. 2.

§. 10. Presentatio quo tempore fieri debet.

Presentatio autem fieri debet intra quatuor menses à tempore vacationis, si Patronus secularis est: si Ecclesiasticus, intra sex menses, cap. unico §. 1. De jure patron. in 6. alioquin decurso hoc tempore aut Patronorum contentione extracto, ad Ordinarium collatio spectabit, c. 3. c. 12. c. 22. c. 27. Ext. d. tit. d.

§. 11. Etiam plures presentari possunt.

Porrò non tantum unus, sed plures simul Clerici à Patrono laico presentati possunt, d. cap. 2. in Clement. add. Rochum in repetit. rubr. de jure patron. in verbo, honorificum, num. 28. & 34. imò & successivè plures, posteriorem accumulando priori, cap. Cum autem 24. c. Quod autem 5. Ext. De jure patron. licet priori sine causa rejecto regressus detur adversus institutorem, cap. Pastoralis 29. Ext. eod. tit. Patronus verò Ecclesiasticus uni à se presentato adherere cogitur, d. cap. Cum autem.

§. 12. Patrono honor & commodum debentur.

Illud præter presentationem, in Patrono fundatore Ecclesiæ amplius est, quod ipsi honor in progressu publico debeatur, & si ad inopiam redigatur, modestè succurratur ab Ecclesiæ, cap. Nobis 15. Ext. d. tit. can. quicumque xvi. quest. 7. idque naturali quadam ratione, quæ ad remunerandum

obstringimur illis, à quibus beneficium accepimus, c. Cum in officio 7. in princ. Ext. De resam. l. Sed est 28. §. consuluit D. De petri. hered.

§. 13. De cura Patroni.

Ut vel hinc non injurià Patronus & ejus hæredes curam rerum Ecclesiæ sive beneficii in se recipiant: ut si Sacerdotem seu ministrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare; aut commonitionis honestæ conventionem competant, aut Episcopo vel Judici corrigenda denuntiant. Quod si talia Episcopus agere tentet, Metropolitanus ejus hæc insinuare procurent. Sicut Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant. Ex decreto Concilii Tolletani, in can. Filius xvi. quest. 7. Quod tamen non eò producendum est, quasi & rationem administrationis exigere possint à Sacerdote vel ministro, cum ea Episcopo relinquenda sit, can. Noverrint x. quest. 1. c. Cum & plantano 2. §. in Ecclesia Ext. De privileg. cap. Ex literis & ibi Panorm. num. 3. circa fin. Ext. de jure patron. præterquam si Patronus Ecclesiasticus sit, cui id à jure permittitur.

§. 14. De modo amittendi jus Patronatus.

Demum amittitur jus Patronatus, si Patronus Rectorem vel alium Clericum ejusdem Ecclesiæ, per se, vel per alium cadere sive mutilare nefariè præsumperit, cap. In quibusdam 12. Ext. De panis; aut crimine hæresis sive Majestatis se obstrinxerit, per cap. Vergentis 10. Ext. De heret. Auth. Gazaros C. eod. tit. l. Quisquis, l. penult. Cod. Ad L. lul. majest. ita ut primo casu jus Patronatus Ecclesiæ, cui injuria illata est, cedat, d. cap. In quibusdam in verb. proptus amittant, junctâ ibid. Glos. posterioribus verò, unâ cum universitate rerum, fisco inferatur, d. c. Vergentis, & d. Auth. Gazaros, l. 1. Cod. De bonis libertor. vide latè Lambertini de jure patron. lib. 3. Quin & emptor juris Patronatus singularis amissione juris multatur, ut in casu cap. 6. Ext. De jure patron. add. Concil. Trident. sess. 25. cap. 9. vers. nec dictum de reformat.

§. 15. De indice juris Patronatus.

Neque dubitandum est, causam juris Patronatus ad Ecclesiasticum Judicem pertinere, cap. 3. Ext. De iud. sed utrum quoad possessorium, vide qua tradit Did. Covarr. Pract. qu. c. 25.

NOTATIO in Tit. 29.

Itaque diversum hoc ius est à iure patronatus civili, quod



quod in seruos à se manumissos, id est, libertate donatos, retinet dominum eorumque liberi, de quo sub tit. D. De jure patron & tit. C. De bon. libert. Quod non est huius argumenti. Nam de quo in presenti agitur, illis concessum est à sacris Canonibus, qui vel fundarunt, sive construxerunt, vel dotarunt Ecclesiam, sive ipsi, sive alii, à quibus causam habent; sicut videre est hoc tit. nostro. Pro autem consilio hoc jus introductum est in vicem cuiusdam remunerationis, utque Christiani, etiam laici, hac ratione magis provocarentur ad bene merendum de religionis cultu.

b. Intelligi etiam heredes feminas. Nam & ha. capaces sunt iuris patronatus, cap. fin. Ext. De concess. praben. cap. Ex literis 7. Ext. de jure patron De quo vide latius Roch. Curt. in repetit. tit. de jure patron. in verb. competens alicui.

g. Et ratio est in universitate, quod ius patronatus eo casu non principaliter veniat, sed accessorie. At absurdum

non est, ut ea, quae per se & separatim vendi sive alienari non possunt, cum universitas recte transferatur, l. Quaedam 62. D. De acquirit. rer. domini. l. In modicis 24. D. De contrah. emp. juncto cap. Accessorium De reg. jur. in 6. Idem est in locatione universitatis, quae per longum tempus fit, d. c. Ex literis: cum has species dominium utile in conductorem transeat, l. 1. §. quod ait praetor D. De superfic. l. 3. juncto l. 1. in fine D. Si ager ve & sig. sicut & in venditione fundi, c. Cum saeculum, 13. Ext. De jure patron. Aliud verò est in creditore, cui universitas jure pignoris obligata est, cap. Cum Bartholomaeus 18. Ext. De sent. & re jud. cum in hunc non transeat dominium utile, imò nequidem ullum commodum rei pignoris, l. 1. l. 2. C. De pignor. act.

d. Ratio est in seq. §. porro, ut scilicet secularis, quin uno juratur, in altero incommodum sentiat, arg. l. Eum 30. in princ. D. De jure jur.

## DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

### TITULUS XXX.

#### §. I. De necessitate Residenti.

Cum beneficia Ecclesiastica divini officii explendi causâ instituta sint, cap. fin. De rescript. lib. 6. rectissime sancitum est à sacris Canonibus, ut nullus ad Ecclesiasticum beneficium assumatur, nisi qui in loco ejusdem beneficii residere & per se deservire possit, cap. 3. & cap. 4. Ext. hoc tit. Quod si aliter quis assumptus fuerit, & citatus non paruerit coëcerur ejus contumacia vel per suspensionem, vel per excommunicationem, vel per privationem beneficii, cap. Ex tua 11. Ext. eod. can. Si quis verò cum can. seq. can. Si quis in clero v. 11. quast. 1. d. cap. 3. & 4. cap. Ex parte 8. cum seq. Ext. eod. secundum distinctionem Panorm. ad d. c. Ex tua.

#### §. 2. Qua causa absentem Clericum excuset.

Excusatur autem absens iusta ex causa: veluti, si morbo impediatur, cap. 1. Ext. De cleric. agrot. c. 1. De cler. non resid. in 6. juncto l. 4. §. penult. D. De statu lib. si in Servitio 3. Pontificis, cap. Cum dilectus 14. Ext. h. tit. vel Episcopi, c. Ad audientiam 15. cap. 7. eod. vel Ecclesiae suae versetur, c. Ex parte 13. eod. si studiorum causâ, aut aliâ honestè absit, ex Praelati licentia, cap. 4. eod. aut consuetudo Ecclesiae non damnosa absenti suffragetur, cap. Cum omnes 6. Ext. De consuet. juncto c. 1. eod.

#### §. 3. De absentia Praelatorum, aliorumque beneficiorum, ex Consilio Tridentino.

Ceterum cum ex sententia veterum Canonum illi, qui aliquantisper absunt, non videantur abesse, quia statim reversuri sunt, can. Non oportet can. Per venit & can. Si qui verò v. 11. quast. 1. idcirco sancta Tridentina Synodus hac in re modum adhibens, statuit, ut in omnibus Patriarchalibus, Primitialibus, Metropolitanis, Cathedralibus Ecclesiis, quibuscumque quocumque nomine titulo praefectis, etiam si sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sint, illud absentiae spatium, singulis annis sive continuum, sive interruptum (si tamen ex aequa causa fiat, & absque gregis detrimento) duos menses, aut ad summum tres non debere excedere: nisi forte Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiae, vel Republicae utilitas majus absentiae spatium requireret. In aliis curatis inferioribus illud absentiae tempus duobus quoque mensibus conclusit: causa tamen prius cognita & probata per Episcopum, nisi & hic rei gravitas longius tempus postularec. Vide Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. de reform. juncto cap. 1. sess. 6. de reform. adde Bullam Pii IV. super residentia Praelatorum &c. Anno 1564. vii. Kalend.



*Kalend. Decemb. Ex Canonis verò Cathedralium & Collegiarum Ecclesiarum, aut in iis præben- das, aut portiones obtinentibus, nemini permit- tit, vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis,*

*ultra tres menses abesse, sess. 14. c. 12. §. præterea obtinentibus de reform. ubi latius & de panis in trans- gressores.*

## DE PECULIO CLERICORUM.

## TITULUS XXXI.

## §. 1. Peculium unde dictum?

**H**ic consequenter de Peculio Clericorum videamus. Dicitur autem Peculium, quasi puilla pecunia, auctore Ulpiano, in l. De postu §. 2. D. De peculio. quod certè Clericis vel in- primis competit, si veteres Canones spectemus, in can. Clericus in can. Duo sunt xii. quæst. 1.

## §. 2. Clericorum triplex Peculium.

Sed cum hodie ex recentioribus Canonibus Clericis circas possidendas major potestas facta sit, §. Et licet sup. de iure personar. solet eorum Peculium triplex constitui. Aut enim constat ex propriis bonis ipsius Clerici; aut ex bonis Eccle- siæ; aut ex bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis, tototit. Ext. De peculio cler. can. 1. & can. 2. xii. quæst. 3.

## §. 3. Propria bona Clericorum qua, eaque pro ar- bitrio alienari possunt à Clerico.

Propria bona sunt, quæ ex successione hæredi- taria, legato, fideicommissio, donatione aliò ve titulo Clerico obvenierunt, dummodò non occa- sione Ecclesiæ. Et hæc cum nihil à bonis priva- torum sive secularium distent, permillum est Clerico, quo velit modo de iis disponere, sive in- ter vivos, sive in ultima voluntate, d. c. 1. vers. Si autem, cum seq. c. Quia 9. cap. Relatum 12. in hoc c. Re- quisisti 15. Ext. De testam. c. 1. Et ibi Glof. Ext. De success. ab intest. can. Episcopi cum 2. seqq. xii. quæst. 1. c. 1. can. Fixum, ead. quæst. 5.

## §. 4. Bona Ecclesiæ qua, eaque Ecclesiæ dominio contineri.

Bona Ecclesiæ dicuntur, quæ Ecclesiæ ejus- que ministris exhibendis, consecrata vel destina- ta sunt; veluti sunt, domus, agri, vineæ, sylvæ, calices, aliæve, quæ vel ex donatione, emptione, vel ex alio contractu, vel ex alicujus hæreditate, legato, sive fideicommissio ad Ecclesiam pervene- runt, can. Nullum can. seqq. xii. quæst. 2. Quæ cum

ipsius Ecclesiæ dominio contineantur, nihil in his ministri Ecclesiæ sibi iuris vindicare possunt præter administrationem, cap. 2. Ext. De donat. can. fin. xii. quæst. 1. can. Episcopi, can. Manifesta d. quæst. 1.

## §. 5. Bona ex rebus, vel prospectu Ecclesiæ adqui- sita qua, &amp; de eorum usu.

Bona verò ex rebus, sive prospectu Ecclesiæ acquisita à Clerico, ut sunt, fructus, aliique red- itus & obventiones Ecclesiasticæ; hæc licet Clerico cedant, non tamen in alium quam neces- sarium, & pium usum à Clerico converti debent, can. ex his cum can. seq. c. fin. xii. quæst. 1. c. Cum secun- dum 16. ext. De præb. Nam hæc spectat illa Hiero- nymi vox, apud Gratianum in summa xl. v. Tibi sa- cerdos, de altario vivere, non luxuriari permitti- tur. Et quod à Concilio Tridentino diserrè edi- ctum est: Omnino interdicit, inquit Concilium de Episcopis aliisque Clericis, etiam Cardinalibus, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiarive suos augere studeant, cum & Apostolorum Ca- nones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non di- strahant nec dissipent, illorum causâ, in c. 2. om- nino sess. 25. de reformat.

## §. 6. Empta ex redditibus &amp; oblationibus Ecclesiæ, eidem remanere debent.

Unde & Concilium Remense de his, quæ ex Ecclesiæ redditibus & oblationibus comparata sunt, ita pronuntiat: Inquirendum est, si quis Presbyterorum de redditibus Ecclesiæ, vel obla- tionibus vel votis fidelium, alieno nomine res comparavit, quia sicut nec suo, ita nec alieno no- mine Presbyter fraudem facere de facultatibus Ecclesiasticis debet: quoniam hoc sacrilegium est & par crimini Judæ furis, qui sacras oblatio- nes asportabat & furabatur, c. pen. Ext. De pecul. cler.

## §. 7. De-



§. 7. *Melioramenta à Clerico facta, sunt eius quo-  
ad vixerit.*

Et Concilium Toleranum: Si quis sanè Cleri-  
corum, inquit, agella vel vineolas in terra Eccle-  
siæ sibi fecisse probabitur, sustentandæ vitæ cau-

sâ, usque ad diem obitus sui possideat: verum post  
suum decessum Ecclesiæ restituat, nec testamen-  
tario aut successorio iure cuiquam hæredum,  
probæ redimere relinquat: nisi forsan cui Episco-  
pus pro servitiis ac præstatione Ecclesiæ largiti  
voluerit, *e. fin. Ext. De pecul. cleric.*

## DE REBUS ECCLESIE NON ALIENANDIS.

### TITULUS XXXII.

§. 1. *Res Ecclesiæ & monasterii alienari non posse; & quid veniat nomine alienationis.*

**Q**uia res Ecclesiæ propriæ ipsius Ecclesiæ  
sunt, in cuius usum & ministerium sunt  
dedicatæ, *can. Nulli xii quest. 2. sup. tit. prox.*  
§. *bona verò*: idcirco discretè à saceris Canonibus  
cautum est, ne illæ à Clericis etiam Summis  
Pontificibus, vel aliis quibuscumque alienari  
possint, *tototit. Ext. in 6. & Clem. De rebus Eccles. non  
alien. can. Non licet, cum can. seq. xii quest. 2.* Idem  
statutum est de rebus monasterii, *Clem. 1. hoc tit.*  
Alienationis autem nomine hæc continetur, do-  
natio, venditio, permutatio, emphyteusis, infeudatio,  
ususfructus, hypotheca, locatio ad lon-  
gum tempus, *e. Nulli §. alienationis Ext. hoc tit. d.  
can. Non licet & d. Clem. 1. & ex Pauli III. constituti-  
one etiam locatio ultra triennium, in cap. unico in  
extravag. comm. de qua vide Covarr. Var. resol. lib. 2.  
cap. 16. & 17. Navarr. ad d. can. Non licet. 2. & haud  
dubiè, hæredis institutio, legatum, fideicommissum,  
cap. 1. cap. Cum in officio 7. cum 1. seqq. Ext. De tes-  
tiam. can. Episcopi, can. Manifesta, can. Sim. manifesta  
xii quest. 1.*

§. 2. *Alienatio rei Ecclesiasticæ ipso iure nulla est.*

Unde si qua rei Ecclesiasticæ alienatio fiat, ea  
ipso iure non subsistit; adeoque per ipsum alie-  
nantem, vel quemvis alium Clericum infringi &  
retractari potest, *cap. Si quis presbyterorum 6. Ext.  
hoc tit. ibi notant Glos. & Panorm. can. Quod quis xxxv  
quest. 6. d. cap. unico in extravag. comm. de Non dubi-  
um §. C. De legib. cap. Qua contra De R. I. in 6.* Quod  
in præcæti argumento singulare est; cum regula-  
riter nemo factum suum improbare possit, *cap. In-  
ter dilectos 8. Ext. De donat. l. 4. Cod. De revoc. donat. l.  
factum cuique De R. I.*

§. 3. *Res peritura & supervacua animalia rectè  
alienantur.*

Quæ certè intelligenda sunt de rebus immo-

bilibus & mobilibus, quæ servando (ut loqui-  
mur) servari possunt. At in rebus periculis, quæ  
diuturnitatem non patiuntur, ut sunt fructus,  
vestes & his similia, *d. cap. unico in extravag. com. &  
d. Clem. 1. iuncto §. constituitur, Insti. De usufr. Licet  
vestimenta Ecclesiæ veritate consumpta comburi, & co-  
rum cineres recondi debeant, iuxta can. Altaris 39. de  
consecr. dist. 1. item in supervacuis animalibus alie-  
natio minimè interd. & est, Hostiens. in Summa  
huius tit. num. 1. addo text. in l. Lex qua 2. 2. in fine C. De  
administ. tutor.*

§. 4. *Casus à superiori regula excepti.*

Neque quod de rebus immobilibus & mobili-  
bus diximus, perpetuum est. Nam & certi casus  
existunt, quibus ex permissione sacrorum Cano-  
num etiam illæ rectè alienantur, qui recensentur à  
Glos. in Summa vii. quest. 2. Quorum unus est, si ec-  
clesiasticæ Ecclesiæ alienationem suadeat, *d. Clem. 1.  
hoc tit. cap. 1. Ext. De pignori. puta, si Ecclesiæ alie-  
no ære oppressa sit. Auth. hoc ius porrectum C. De  
sacros. Eccles. Alter est, si pauperes alendi aut capti-  
vi ab hostibus redimendi sint, *can. Sacrorum & can.  
seq. cap. Aurum cum seq. xii quest. 2. can. fin. xvi. qu. 1.  
Aurum enim, sententia Ambrosii est, Ecclesiæ habet,  
non ut servet, sed ne erogat & subveniat in ne-  
cessitatibus, in c. d. can. Aurum Tertius est, si Ec-  
clesiæ expediat alienationem fieri, *d. Clem. 1. can.  
Sine exceptione xii qu. 2. cap. 8 §. fin. Ext. hoc tit.* Nec  
enim prohibitio alienationis in læsionem Eccle-  
siæ retorquenda est, *l. Quod favore 6. C. De legib.***

§. 5. *De solemnitatibus adhibendis in alienatione  
iis casibus, quibus permessa est.*

Ut tamen his tribus casibus, quibus alienatio  
permessa est, Capituli consensus & subscriptio  
adhibeantur, ubi scilicet Episcopus alienationem  
molitur, *d. can. Sine exceptione, d. Clem. 1. cap. 1. cum  
seqq.*



sequit. *Ext. De his que fiunt à Pralat. Panorm. in d. cap. 1. Si alius Clericus, qui Capitulum non habet, Episcopi assensus accedat, can. Placuit xii. quæst. 1. In alienatione verò rerum monasterii non tantum opus est consensu Capituli, sed & Episcopi; ex decreto Conciliorum Aurelianensium, can. Abbatibus, d. qu. 1. & Agathensis, can. In venditionibus xv. quæst. 4. adde cap. 1. eod. tit. in Clem. & ibid. Panorm.*

§. 6. *Ius singulare in bonis laico subjiçiondis.*

¶ Illud verò singulari jure sancitum est à Gregorio Decimo in generali Concilio Lugdunensi, ut in Ecclesiæ bonis immobilibus sive Juribus, laico tamquam superiori vel tamquam patrono sive advocato subjiçiondis, præter Capituli consensum etiam Apostolicæ Sedis licentia specialiter adhibeatur, c. 2. hoc tit. in 6.

§. 7. *In exiguis & longè distitis non requiri solemnitatem*

Porro in terrulis & vineolis exiguis & Ecclesiæ minus utilibus, aut longè distitis, remissa est omnis solemnitatis; cum per solum Episcopum, si necessitas urgeat, rectè distrabantur, juxta can. Terrulas d. quæst. 2.

§. 8. *In feudum & emphyteusim eandem rem rursus concedi posse; & quando.*

Idem est in rebus in feudum olim datis, si per mortem ultimi vasalli ad Episcopum redeant. Nam & has potest Episcopus (si viderit expedire) liberè in feudum alteri concedere, cap. 2. *Ext. De feudis, cap. 1. §. 1. Episcopum & Abbat.* Similiter & res in emphyteusim ab antiquo dari solitas, si evidens Ecclesiæ utilitas suaserit, d. c. unico in *Extra-vag. com.*

§. 9. *Emphyteusim nova quo casu permessa.*

De agris verò in emphyteusim novam concedendis hoc rescriptum extat Alexandri III. ad Episcopum Vigorniensem: Illas terras, inquis, quæ de sylvis exstirpatæ, sunt arabiles factæ, eis hæreditario jure poteris concedere, sub annuo censu tenendas, à quibus suo, vel parentum suorum labore constiterit exstirpatas. Nisi fortè quæcunq; aliis possint ad majorem Ecclesiæ utilita-

tem cum eodem labore & onere conferri, text. est in cap. *Ad aures 7. Ext. h. tit.*

§. 10. *Prælatum rem unius Ecclesiæ cum alia permutare potest utriusque consensu.*

Sed & permissum est Episcopo, terram unius Ecclesiæ cum alia permutare, interveniente utriusque Ecclesiæ consensu, cap. 1. *Ext. De rer. permut. & si unius æstimatio alteram excesserit, refusione pecuniæ ab altera Ecclesiæ præstanda, rem ad æqualitatem redigere, cap. Ad quæstiones 6. eod. An autem, qua hoc & 2. præcedentibus §§ dicuntur, per se possit Episcopus absque Capitulo suo, dubium est, præter cap. 1. & cap. 4. *Ext. De his que fiunt à Pralat.* Sed in his consuetudini magis standum est, cap. Ea noscitur 6. *Ext. De his que fiunt à Pralat.* Adde qua supra tit. de jur. non scripti partibus diximus.*

§. 11. *Per præscriptionem rem alienari sive auferri legitimè ab Ecclesiæ.*

Postremò sciendum est, per præscriptionem, id est, possessionem continuam xl. annorum cum bona fide, prædium, sive aliud jus cujuslibet Ecclesiæ vel monasterii (exceptâ tamen Romanâ Ecclesiâ, adversus quam solum centenaria præscriptio currit) alienari vel tolli, c. 4. 6. 8. 13. & cap. 14. *Ext. De præscript.* Sicut infra commodius dicetur, inf. *De exceptionib. §. tam de præscript.*

NOTATIO in Tit. 32.

a Quod hic dicitur de prohibita locatione ad triennium ex Pauli II constitutione, id accipiendum est de rebus Ecclesiæ, quæ quotannis excoluntur & fructus reddunt; aliqui si ejus sint conditionis, ut singulis trienniis semel tantum fructus proferant, poterunt & in novem annos locari. Nec dubium esse debet, ubi eadem constitutio Pauli II. moribus recepta non est, non obligare, can. In istis dist. 4. & ubi recepta est, contrariâ consuetudine eam tolli posse, juxta cap. fin. *Ext. De consuet. & qua ibi tradunt DD. de quo Covarr. Var. resol. lib. 2. cap. 16. num. 6. & Navarr. ad can. Non liceat xii. quæst. 2. num. 21.*

b Addunt alii quartum casum, propter rei incommo- ditatem; ut quia res magis damnosa quàm utilis est, can. Tertullas xii. qu. 2. Verum hic casus sub tertio continetur.

FINIS LIBRI II.

R I X X

S U M M A